Reviczky, Jozsef
Memoria Leopoldi II.
apud Hungaros

Auctore Reviczky

MEMORIA LEOPOLDI II.

APUD

HUNGAROS



PESTINI

TYPIS MICHAELIS LANDERER DE FÜSKÚT

1802.

Nullum eſt immortalitatem merito Principe impendii genus dignius, quam quod erogatum in Poſteros.

Nos autem intelligamus bona noſtra, dignosque nos illorum uſu probemus.

Plinius in Panegy. Traj.

AD LECTOREM.

LEOPOLDUS II. oſtenſus ſolum Hungaris fuerat. Dum tamen nominis Hungarici, et praeſertim Comitiorum anni 1791. memoria ſuperfuerit, tamdiu perennis erit LEOPOLDI II. apud Hungaros recordatio.

Albertus Rex Auſtriacus anno uno, et decem menſibus Regni gubernacula in Hungaria tenuit, et tamen monumentum aere perennius in faſtis Hungarorum propterea Ipſi eſt poſitum, quod felici Auſtriacorum Principum regimini initium dederit.

Qualiter igitur LEOPOLDI II. poſteritas noſtra obliviſcetur, qui intra exiguum, nec duorum annorum, quibus nobis praeerat, temporis intervallum, non ſolum Regimen Domus Auſtriacae ſapi-

entissime constabilivit, sed nova etiam propriae nobis felicitatis fundamenta posuit.

Quid porro Idem praestitisset, si diutius Superi Illum nobis concessissent? Loquitur Hetruria, quae Ipsius ductu verae civilis felicitatis fastigium conscenderat. Loquuntur Leges Auspiciis Ejusdem apud nos etiam latae, et praesertim Acta Deputationum Regnicolarium a. 67. 1791. institutarum.

In his semina prosperitatis illius jacta sunt, cujus fructus deinceps in nos, posterosque nostros redundabunt. LEOPOLDUS certe de vera Patriae felicitate nos meditari voluit, proprioque exemplo docuit: non solum Civis, sed et cujuslibet Principis felicitatem in felicitate Civitatis, cujus idem membrum est, consistere. Et reipsa sub brevi Ejusdem in Hungaria Regimine plus de felicitate publica actum, scriptumque fuerat, quam pluribus etiamnum seculis.

Ejus-

Ejusdem vero gesta in Hetruria luculenter illustrat immortale opus, quod primum anno 1789. *sub titulo :* Governo della Toscana sotto il regno di Sua Maestà il Ré Leopoldo II. *in Italia prodiit. Dein vero per celeberrimum Crome in Germanicum translatum, pluribusque animadversionibus auctum anno* 1795. *Lipsiae typis datum, atque cultioris Europae totius approbatione exceptum est.*

Libri hujus, inque eodem contenti Regiminis Leopoldini sufficiens vel illa est commendatio, quod mutato etiam rerum humanarum vicissitudine in Hetruria Domus Austriacae imperio, perpetuus tamen memoriae LEOPOLDI *II. dies festus celebretur.*

Boni igitur Civis munus me praestare existimo, si Popularibus meis aliqua ex illis commemoravero, quae pro Bono publico, sive securitate, commodis, atque decore Civitatis, cujus Idem Rector

ctor fuerat, ſapientia, atque benignitate LEOPOLDI II. in effectum deducta ſunt.

Nec tamen omnia, quae Idem praeſtitit, ſed ea ſolum, quae nobis maxime uſui fore exiſtimo, adducere conſtitui. Priusquam autem ſingulae Gubernationis Ejusdem partes ſpeciatim expendantur, juverit Hiſtoricam Regiminis LEOPOLDI II. notionem in compendio praemittere.

NO-

NOTIO HISTORICA
REGIMINIS
LEOPOLDI SECUNDI.

Scopus Leopoldi. Quum primum LEOPOLDUS Regimen Hetruriae adiit, id ſibi negotii credidit praeprimis dari; ut cum ſingulos Civium ſuorum felices facere haud posſet, quam plurimos ex iisdem felicitatis communis participes redderet. Hunc in finem, et vires, et voluntates Civium unire conſtituit.

Media. Id videlicet cujuslibet Civitatis bene ordinatae indoles exigit, ut in eadem ſit unitas finis, virium, atque voluntatum. Neceſſe igitur fuerat, ut quem ſibi praefixerat communis Felicitatis ſcopum, ad eundem conſequendum unitis viribus Cives omnes concurrerent.

Privato arbitrio, privatisve utilitatibus aut contrariis ſibi invicem conatibus locus nuspiam erat; ſed deſtinato omnia, juxta Leges maturo judicio ſtabilitas, agebantur. Una tamen ſedulo cavebatur, ne, dum utilitati communi proſpicitur, juribis Civis cujuspiam, aut plane integrae Civium quorumdam claſſi detrimentum inferatur.

Quilibet Civium annuli inſtar catenae Civitatis nectitur. Neque ſe alium LEOPOLDUS reputabat, quam unum ex illis, quibus Civitas continetur; quive vinculo primo Civitati adſtringitur.

Quia porro ejusdem ſocietatis civilis ſocii pari perfrui debent ſecuritate, ceterisque ſocietatis commodis; onera etiam Civitatis ſub ejusdem Imperio, a ratione commodorum in Cives redundantium ferebantur. Meritorum aequalis ratio habebatur.

Decus profecto, ac Regiminis Monarchici excellentia vix usquam luculentius emicabat, ac ſub Regimine LEOPOLDI in Hetruria. Omnes enim Magni Ducatus incolae, tamquam unius Patrisfamilias filii cenſebantur. Aequali omnes novus hic Titus favore complectebatur; neque ullus Ejus-

dem

dem imperio ſubditorum conqueri potuit; ſe pro privigno, aut plane extraneo reputari.

Difficultates. At vero innumerae erant ſuperandae difficultates, dum ad hoc felicitatis civilis faſtigium ſuos Leopoldus deduceret. Quae non obſtacula multiplici velo obvolutus nimius ſui amor, ſive Egoismus obmovebat? Ignorantia, opiniones praejudicatae, et Conſvetudines longa annorum ſerie conſecratae, optimis conatibus obſiſtebant.

Qualiter complanatae? Superavit tamen haec omnia Leopoldus, et quidem absque ſtrepitu; ac ſine ullis adminiſtrationis publicae convulſionibus. Quod ſane praecipuum eſt Politicae Ejusdem Prudentiae argumentum, atque exemplum, omnibus, qui Rempublicam feliciter adminiſtrare volunt, imitandum.

In locum eorum, quae ipſa ſua vetuſtate uſui amplius minus idonea fuerant, talia ſenſim ſubſtituit, quae temporibus, moribusque modernis, gradui Culturae Nationis, verae denique utilitati, juſtitiae, atque veritati accomodata magis erant.

Luculento certe Ejusdem inſtituta documento ſunt: falsa eſſe illa, quae vulgo jactantur. Vitia videlicet Civitatum, ſi annoſa ſuerint, curam omnem reſpuere, ſola obſequii gloria populo relicta; cauſas Legum, atque Adminiſtrationis publicae ſubditis occulta eſſe debere. Rudem denique et ſervilem Populum, magis ex uſu Monarchiae eſſe.

Conſectaria. Ex his elucet potius: Moralem Civium Culturam ad Civitatum felicitatem longe plus conferre, quam Finium extenſionem, Populi numerum, inſtructiſſimas Acies, et demum ſummas quascunque Opes, ac Divitias. In Monarchica regiminis forma naevos omnes Adminiſtrationis publicae, longe facilius emendari, quam ubi vulgi, aut Demagogorum aliquot clamoribus perſtrepunt omnia. Et demum, illas Civitates, felicitatem, ſucceſſumque Legibus ſuis polliceri poſſe, ubi non vi, armis, ac ſangvinis profuſione, ſed rationum, ac propriae, veraeque utilitatis momentis, Cives ad obſequendum perſvadentur.

Ut maturescant, tempore omnia indigent. Experientia docet, neque in Monarchi-

chicis, neque in Democraticis Regiminum formis ſtabilitatem illa habuiſſe, quae opere tumultuario, minis, artibusve violentis conſtituta ſunt.

Leges. Quantum denique beneficii Civitatibus ſit Monarcha ſapiens, humanitatis amans, ac Legibus obnoxius, per omne Regiminis ſui tempus LEOPOLDUS docuit. Ejusdem Legislatio eſt exemplar efficaciae civilium, et manſvetudinis Legum criminalium.

Poenae. Spectacula poenarum, atque ſuppliciorum publicorum, eodem in Hetruria imperante, erant rariſſima. Juſtitia prompta, atque omnes Civium claſſes aequaliter protegens. Sportularum, et Confiſcationum nomen ipſum e Tribunalibus exeſſe juſſum. Crimen laeſae Majeſtatis e numero Delictorum expunctum, raraque aetatis illius felicitate abolitum.

Cultura Morum. Morum cultura, et Magiſtratuum, ſive ita dictae Politiae vigilantia, numerum Delictorum annuatim minuebat; indeque factum eſt: ut anno 1786. duabus jam tertiis pauciores fuerint delinquen-

quentes in carceribus, quam anno 1766, cum initio nempe Regiminis Leopoldini.

Felicitas Civilis. Vera libertas, et proprietas; sive civilis securitas Actionum, Personarum, Honoris, atque Bonorum, regnante LEOPOLDO domicilium in Toscana fixisse videbatur. Neque aliud, quam generales, omnibus utiles, et cuilibet Civium notae Leges, indiscriminatim Ejusdem incolas obstringebant. Easdem nempe Leges, idemque Judicium habebant Nobiles, et Ignobiles, Pauperes, atque Divites.

Religio. Religio quaelibet, tamquam praecipuum Regiminis adjumentum, et aptissimum continendis in officio Civibus instrumentum, peculiari in veneratione fuerat; eandemque prout quamcunque aliam Civium proprietatem Leges aequaliter protegebant.

Disciplina Ecclesiastica. Horsum pertinebat Disciplina Ecclesiastica; atque aequiorum Bonorum, Functionumque Ecclesiasticarum distributio. Ut videlicet eo liberius institutioni Populi, virtutibus, probisque moribus propagandis Ministri Religionis vacare possent.

Qui

Fundus Ecclesiasticus. Qui e sublatis quibusdam Religiosis Ordinibus conflatus erat Religionis fundus, ad meliorem utriusque sexus juventutis educationem, pauperiorum Ecclesiarum dotationem, et vere infelicium subsidium impensus est. Neque pulchrius operum LEOPOLDI monumentum, quam grata tot extremae calamitati ereptorum suspiria, et universim meliores prioribus in Toscana mores.

Hospitalia. Hospitalia, Xenodochia, Nosocomia, et innumera alia Pauperum, atque infelicium Receptacula, sunt totidem pii Ejusdem liberalis, humanique animi monumenta. In his mundities, ordo, humanaque cum pauperibus agendi ratio, omnium oculos, animosque percellebat. Senes, atque infirmi tamquam domi suae a probis prolibus curabantur. Proles Parentibus destitutae velut a Matribus propriis alebantur. Omnes autem communis omnium Pater LEOPOLDUS, vere paterno sinu, atque animo complectebatur.

Securitas externa. Objiciunt quidem aliqui: primario Civitatis fundamento, externae videlicet securitati eo minus con-

sul-

fultum exftitiffe, quod LEOPOLDUS Militiae numerum reftrinxerit. At vero probe fciebat Ille, Civitates non fola Militum copia deffendendas effe. Scutum militare fi grave fit, ipfam, quam protegere debebat, Civitatem opprimit. Quantum onus reliquis Civibus, quantum induftriae Nationalis detrimentum, fuperfluus tempore pacis otioforum exercitus. Et denique firmum fecuritatis externae praefidium, non in numero Militum, fed in fide, viribus, atque dexteritate fidelium fubditorum rite collocatur.

Fatendum eft interim, exiguum in Hetruria virtuti militari campum fuiffe. Neque tam propagandis finibus, quam felicibus reddendis, quos habebat, Civibus, LEOPOLDUS ftuduit. Et ideo, dicenti cuipiam dolendum effe, quod non plures Ejusdem imperio comprehendantur, refpondit: „Id „ fibi dolere potius, quod inter eos etiam, „ qui ipfius ductui parent, infelices aliqui „ reperiantur."

Securitas interna Sed et indole fua Princeps erat LEOPOLDUS Pacis amantiffimus. Et prout Idem pacis potius artibus excellebat, ita ejusdem fructibus fibi fubditos

gau-

gaudere voluit. Propterea Eodem in Hetruria imperante pax, atque ſecuritas interna imperturbata viguit.

Munia publica. Quia vero ad internam Civitatis ſecuritatem, prudens illorum delectus plurimum confert, qui publica munia obeunt, non alii ſub Eodem ad iſta applicabantur, quam quos merita, virtutesque diſtinxiſſent. Primarium Ejusdem Rei Aerariae in Hetruria Miniſtrum, Asinarii filium exſtitiſſe, palam conſtat.

Qui officium publicum pecuniis, malisve artibus adipiſci voluit, eoipſo excludebatur; crimenque ambitus infame erat. Ceterum in Magiſtratibus conſtituti, atque etiam iisdem fideliter defuncti, liberali ſtipendio proviſi erant. Eapropter muneris obligationes a quolibet ſtricte exigi poterant; peculatusque, ac aliae in officiis publicis conſtitutorum corruptelae, graviſſime vindicabantur.

Cultura Scientiarum. Cum porro ad internam Civitatis ſecuritatem, præter morum culturam ſcientiae, artesque liberales multum conferant, regnante Leopoldo, Florentia, Piſae, et Sena erant totidem Muſarum,

ar-

artiumque amoeniorum domicilia. Quidquid natura, humanumque ingenium egregii producere potuit, fere omne hic collectum visebatur.

Familiaris Eidem intercedebat cum illis consvetudo, qui semet artium, scientiarumque incremento addixerant. Cum his Ille multum temporis exigere, absentes autem amicis saepius litteris convenire; Majestate Principis haud indignum esse reputabat. Atque hinc potissimum repetenda est Litterarum, ac Literatorum, publica etiam in Hetruria existimatio. Nemo certe ex his conqueri poterat, se cum probrosa paupertate conflictari, aut vero alta ignorantium supercilia tolerare, technasve malevolorum metuere.

Commercium. Nec satis erat LEOPOLDO, ut Cives sui probis moribus praediti, ac scientiis etiam cujuslibet Classi opportunis exculti, securitate fruerentur. Noverat id quoque ad publicae administrationis munus pertinere: ut quo pluribus vitae civilis commodis abundarent.

Hunc in finem Commercium augere, sive utiles Civium suorum occupationes multipli-

tiplicare conſtituit. Qui Leges, atque Oeconomica Ejusdem Inſtituta expenderit, ſaluberrima excitandae Induſtriae Nationali adjumenta in iisdem reperiet.

Agricultura. Ut ad meliorem Agriculturam tanquam Commercii omnis fundamentum Cives ſuos perſvaderet, nullis Sumptibus, propriorumque Redituum Sacrificiis parcendum eſſe exiſtimavit. Hinc diminutus Agris inhaerens Cenſus Publicus. In certum redactae ordinem Colonorum praeſtationes. Stabilita Poſſeſſorii eorundem Securitas, attributa Communitatibus Agros communes excolendi, onusque inhaerens inter ſe partiendi autoritas. Ejusdem auspiciis terrae incultae, culturae idoneae redditae; canales deducti, viae publicae reſtauratae; inopes Coloni ſublevati, ignorantes meliorem Culturam edocti; effectum denique: ut omnis terra, modo optimo, atque a proportione ad reliquas Civium occupationes excoleretur.

Manufacturae. Ut ea, quae Res Agraria produxerat, perficerentur, Mercesque Commercio aptae ex iisdem parari poſſent; plena omnibus illis libertas indulta

erat, qui ad Fabricas, erigendasque Manufacturas animum addixiſſent. Nulla Coetuum, atque Monopoliorum Privilegia induſtriis Civibus impedimento erant. Quin potius, quaelibet Civis privati induſtria, e parte Principis ſumptibus, proemiis, novisque liberi Commercii viis patefactis ſuſtinebatur.

Publica Res Aeraria.

Noverat demum LEOPOLDUS, ad Securitatis tam externae, quam internae praeſidium, Induſtriae, Commodorumque Nationalium incrementum, felicem denique, ac ſtabilem Civitatis omnis adminiſtrationem ſumptus, adeoque, et proventus publicos neceſſarios eſſe. Singularis igitur publicae etiam Rei Aerariae Cura Ipſius fuerat. Hac factum eſt, ut quam minimo Civium cum impendio, omnibus Civitatis neceſſitatibus abunde ſatisfieret, certique, ac ſtabiles Proventus publici redderentur. Recta Oneris Publici diſtributione, Fundorum induſtrialium ſolerti Cultura, atque accurata perceptorum adminiſtratione, id paulo poſt in effectum deduxit LEOPOLDUS: ut licet annuus Caſſae publicae Proventus, duobus millionibus locupletatus fuerit, tantumdem tamen Contribuentibus Ci-

vi-

vibus e Cenſu annuo remittere, atque ex octoginta ſeptem millionibus Debitorum Avitorum, duas tertias expungere potuerit.

Liberorum Inſtitutio. Conſtituta taliter Republica, qualiter privatim fuerit LEOPOLDUS praeprimis e Liberorum Ejusdem inſtitutione aeſtimare licet. In hac, id vel maxime curabat Ille diligenter, ut Proles Ejusdem noſſent ſe non ſolum Principes, ſed et Homines eſſe. Et ideo etiam, qui ex his aetate jam ad formandos mores idonea fuerunt, non in Aula, ſed in privata Inſtitutoris Ipſorum Domo educabantur.

Aula. Ejusdem in reliquo Aula procul aberat a luxu, et ſplendore animum, oculosque accedentium perſtringente. Facilis ad Eandem acceſſus erat. Quilibet in illa tanquam Filius in Domo benigni Patrisfamilias verſabatur, neque ullus e conſpectu LEOPOLDI absque ſolatio diſcedebat.

Diſceſſus ex Hetruria. Atque hoc ipſum in cauſa extitit: quod ubi rumor percrebuiſſet JOSEPHUM II. proximius fatis ceſſurum, altus omnium Status Florentini Incolarum, animos mœror occupaverit. Qui in lacrimas, et lamenta erupit,

 dum

dum cum 1. Martii Anni 1790. ad capeſsendum Regimen hæreditariorum Domus Auſtriacae Regnorum, hisque adnexarum Provinciarum, Idem reipsa discesſiſſet.

Aditus Monarchiae Auſtriacae. Quis cum morte JOSEPHI II. Monarchiae Auſtriacae Status fuerit, uberius percenſere horsum non pertinet. Alioquin palam conſtat, Securitatem externam, jam longius durante bello Turcico, ac novo a Septemtrione imminente, inclinare cepiſſe. Sed et Securitas interna Providentiam ſingularem exposcebat. Multorum enim animi partim gaudio, ob reſtitutam veterem adminiſtrationis publicae normam exuberabant; partim excitato ob repentinas mutationes acriori ſenſu malacia indigebant.

Prima igitur cura LEOPOLDI fuit, utramque hanc conſtabilire. At licet ingentes Eidem utrobique difficultates obmotae fuerint, inſigni tamen Sapientia, easdem omnes ſuperavit.

Regni Hungariae. Quod ſpeciatim Hungariam adtinet, Leges Comitiorum Anni 1791. ſunt totidem Sapientiae, et benignae

in

in fibi fubditos Propenfionis monumenta. His enim quafi totidem Solis radiis, et impendentes eotum Hungariae nubes dispulit, et tempeftates, quibus usque eo jam diu conflictabamur, magna parte propulsavit, et demum Pofteros etiam noftros Aurorae inftar nova luce colluftravit.

Ne autem iftud fpeciofe faltem dictum effe videatur, juverit quaepiam e Legibus Aufpiciis Ejusdem latis delibaffe.

Solennia Coronationis. Has inter praeprimis occurrit Decreti Ejusdem a. 3. *De Coronatione Regia cum fingula Regiminis mutatione intra femeftre peragenda.* Lege hac praecipuum Conftitutionis Hungaricae fundamentum ftabilitum eft.

Quamvis enim jam olim multis Solennia Coronationis partim fuperflua, partim ridicula vifa fuerint. Et praefertim Hæreditaria Domus Auftriacae Succeffione, in Regno quoque Hungariae, folennibus pactis firmata, fumptus occafione hujusmodi profundi folitos, ad usus longe meliores feponi poffe, pluribus argumentis aetate etiam noftra contendebatur. Aliter tamen exifti-

mabant femper Hungari, viciffitudinum humanarum probe gnari.

Quis a Principe cetera Optimo, ac Sapientiffimo id vel fperare aufit, ne fub Ipfius Regimine aliqua Populo gravia accidant, ne Idem fubinde aliorum Confiliis obfequatur, et quaepiam utilitati publicae, Legibusque, ac Confvetudinibus priftinis contraria ftatuat. Coronationis Solennia opportunum malis hujusmodi allevamentum fuppeditant. Novus Princeps in medium Populi fui ubi advenerit, querelas audiet, Ipfemet populum nofcere, et ab eodem nofci incipiet; atque ita inflicta forte fub priori Regimine vulnera, facillime confanari, longa Saeculorum docet experientia. Si quae etiam in adminiftratione Publica incommoda occurrerint, inftar nubium in Hungaria, absque damnofa tempeftate, violentove turbine pertranseunt; et cum novi Principis Coronatione priftina redit Serenitas. Atque huic illa etiam fundamento innituntur, quae in iisdem Comitiis, de Regni Corona Budae affervanda, Bonisque, ac Coronae Confervatoribus conftituta funt.

Al-

Palatinalis Dignitas.

Alterum Conſtitutionis Hungaricae praeſidium eſt dignitas Palatinalis. Cum enim Princeps pleroſque Adminiſtros publicos ſuo pro arbitrio deligat, hi autem aliena ſubinde a Commodis publicis fovere posſint Conſilia, provida ſane ſuerat veterum Hungarorum de muniis dignitatis Palatinalis ſollicitudo. Qui liberis votis ad hoc dignitatis faſtigium evehitur, a populo amari, populumque amare debet. Praecipuum praeterea, ac Juramenti etiam Religione ſacrum Ejusdem munus eſt: publica prae oculis ſemper habere commoda, proque his ſemet apud Regem interponere. Sempiterna igitur grati animi declaratione LEOPOLDO obſtricti ſunt Hungari, qui D. E. a. 5. non ſolum dignitatem Palatinalem in priſtinum vigorem reſtituit, ſed deſideriis quoque Statuum, et Ordinum Regni annuit, quibus Archiducem ALEXANDRUM LEOPOLDUM in Regni Palatinum elegerunt. Idem praeterea, *ut provocatus articulus exprimit*, *ſuam Celſitudinem Regiam Neo-electum Palatinum*, *Filium ſuum charisſimum*, *qua Rex una*, *et Pater exemplo Proto-Regis Hungariae Divi Stephani*, *ad rite*

explendum munus ſuum publice adhortatus, profeſſusque eſt: ſe cupere non magis legalia Regiae dignitatis, quam fidelium Statuum Jura, communesque Regni libertates per Palatinum conſervari, ac manuteneri.

Poteſtas Legislativa. Magnum vero rectae Adminiſtrationis, pluriumque emolumentorum publicorum impedimentum in Hungaria fuerat: quod latis hucusque Legibus, limites exercitii Legislativae, et Executivae Poteſtatis non ſatis definiti fuerint. Sed et Juris Supremae Inſpectionis Regiae, obſcura ſaltem ſupererant veſtigia. Ingens igitur eo etiam Leopoldus Hungariae beneficium praeſtitit: quod a. 10. 12. et 14. inſignem Conſtitutioni Ejusdem lucem attulerit.

Declaravit videlicet *Leges ferendi, abrogandi, interpretandi Poteſtatem in Regno Hungariae, Partibusque annexis, legitime Coronato Principi, et Statibus Regni ad Comitia legitime confluentibus communem eſſe, neque extra illa exerceri poſſe. Adeoque Jus hoc Statuum, prout illud a Divis Suis Majoribus acceperat, ita etiam ad Auguſtos Suos*

Suc-

Successores inviolatum transmissurum. Declaravit porro:

Potestas Executiva. *Executivam Potestatem, nonnisi in sensu Legum per Rtgiam Majestatem in effectum deductum iri. Forma igitur Judiciorum Lege stabilita, aut stabilienda Autoritate Regia non immutabitur, nec Sententiarum Judiciariarum Executiones impedientur, imo nec in Revisionem Regiam, nec ullius Dicasterii Politici pertrahentur.*

Jus Supremae Inspectionis. *Jus demum Supremae Inspectionis Regiae, sive ita dictae Supremae Politiae in nexu fundamentalium Regni Legum exercebitur. Eapropter Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum, ex instituto suo velut Supremum in Politicis Regni Dicasterium, omni sua Legali activitate gaudebit. Neque unquam Regnum per Edicta, seu sic dictas Patentales gubernabitur. Expeditione Patentalium ad eum duntaxat Casum reservata, ubi in rebus Legi alioquin conformibus, Publicatio debito cum effectu hac unice ratione obtineri valeret.*

Educatio Juventutis. Explanata taliter Regni Constitutione ex ejusdem D. a. 15. Paterna de meliore Juventutis Educatione elu-

 cet

cet ſollicitudo. Prae aliis enim omnibus Lege hac decretum eſt: *Ut cum Salus Reipublicae ab Educatione Juventutis plurimum dependeat, Deputatio Regnicolaris Syſtema Nationalis Educationis, quo ocyus Regni Comitiis exhibeat.*

Caſſa Regni. Cum autem absque impenſis, nec Culturae, neque Induſtriae Nationalis incrementum ſperari poſſit, de conſtituenda quoque Regni Caſſa jam dudum ſollicitos fuiſſe Hungaros ex Actis Comitiorum anni 1723. et 1741. luculentum eſt. Leopoldus a. 21. hoc Ordinum Regni deſiderium juſtum, publicisque Commodis procurandis Summae neceſſarium eſſe agnovit; ſtatuitque: *Ut, quae de Fundo publico, ac Caſſa Regnicolari conſtituta ſunt, in effectum deducantur, et Taxa Indigenatus minus conveniente, neque ſufficiente Caſſae iſtius Fundo exiſtente, ulterior hoc in merito diſpoſitio Regni Comitiis relinquatur.*

Religionum diverſarum exercitium. Quantum Calamitatis diſcordiae Religionum pepererint, triſte eſt meminiſſe. Tercentis prope annis pululantia exinde mala Hungariam dilacerabant. Stabilita per Leop. a.

26.

26, 27. & 38. libero diversarum Religionum exercitio, non tantum quieti Reipublicae Hungaricae consultum, sed aliis etiam Civitatibus Christianae mansvetudinis, et prudentiae Politicae, exemplar singulare est propositum.

Conditio Colonorum. Ut vero Sors miserioris etiam Classis Civium, terras alienas excolentium allevaretur, quamvis quidem tam Legibus vetustissimis, quam recentiori Mariae Theresiae Constitutione cautum foret, ne per propriae telluris Heros, sive ita dictos Terrestres Dominos, novum quodpiam onus in Colonos derivetur, humanitas tamen Leopoldi, horum etiam sortem, amplioribus adhuc praesidiis communiendam existimavit. Quodsi conditio Coloni Hungarici penitius expendatur, vix uspiam ampliores Legum favores, salva Domino terrae proprietate, in illum conferri videntur. Praeterquam enim, quod et publica ejusdem Contributio, et ea, quae Domino praestare debet, definita sint, peculiare Consilii Regii, et Comitatus singuli munus est, eo constanter advertere, ne sive publici officiales, sive Domini Terrestres autoritate sua abuti

pos-

posſint. Induſtria ſua partis imperturbate Colonus fruitur; Jusque Detractus, et ſimilia induſtriae obſtacula, nec nomine quidem Eidem ſunt cognita. Quae igitur Leopoldi a. 35. de nexu Dominorum cum Subditis, deque adminiſtranda ipſis prompte Juſtitia, ac libera Colonorum migratione conſtituta ſunt, et poſtmodum a. 67. uberius explanantur, Ejusdem erga Colonos contribuentes teneritudinem, ac Providentiam in Poſteros manifeſtant.

Conditio Judæorum. Extendit eandem Leopoldus in Judaeos etiam Regni Hungariae Incolas, atque a. 38. Conditioni ipsorum ita proſpici voluit, ut non ſolum Nationale Commercium, ſed et reliquae Felicitatis Civilis partes, ſecuritas externa, ac interna, Agricultura, et reliqua omnis induſtria ab iisdem tanquam Civibus ſublevetur; atque illi vicissim a Civitate eam, quam cuilibet Civium debet, Protectionem experiantur.

Processus Criminales. Quam porro mansveti Legislatoris gloriam in Hetruria Leopoldus obtinuerat, eandem in Hungaria etiam confirmavit, dum a. 42. Legem ferri voluit;

ut

ut Torturalia examina, quae poenam potius, quam idoneum eruendae veritatis medium sapiunt, adusque etiam, donec circa Praxim Criminalem Regnicolariter aliud statutum fuerit, simpliciter interdicta sint. Ejusdem vero D. *a.* 43. *in omni Aequitate, et Justitia fundatum esse agnoscitur; ut favores illi, qui in Causis Criminalibus ex Appellatae prosecutione Nobilibus competunt, aliis quoque Nobilitari praerogativa haud gaudentibus communes efficiantur.* Sed et memorabile est illud Mansvetudinis Leopoldi argumentum, quod posteaquam Crimen laesae Majestatis, et notae Infidelitatis e serie delictorum, prout in Hetruria, ob peculiaria temporis adjuncta expungi non dum potuisset, id tamen Ejusdem D. a 56. conclusum sit: *ut Delictum hoc ab ordinariis Regni Judiciis non avocetur, atque amissio Bonorum, in ipso etiam laesae Majestatis Crimine, ad Portionem tantum Delinquentis restringatur.*

Leges Speciales. Quod innumera adhuc alia, usibus Hungariae summopere necessaria constabilivisset Leopoldus, nisi mors praematura Ejusdem destinatis intercessisset, tam ex his, quam e reliquo in articulos 74. di-

stincto

ſtincto Decrecto luculenter elucet. Grata profecto, peculiarique recordatione digna eſt expreſsa Ejusdem a. 57. ſollicitudo, de praecavenda Sylvarum devaſtatione, a. 61. de Partibus Maritimis Regno Hungariae attributis a. 66. de Militaribus Tironibus ita legendis, ut modus indoli Plebis conveniens, eidemque minime gravis exquiratur.

Deputationes Regnicolares. Cumprimis autem in a. 67. veram Leopoldi Sapientiae, Conatusque optimi imaginem Poſteritas Noſtra intuebitur. Fundamenta Civitatis, quam Magnus hic Architectus conſtabilire voluit, hoc in articulo ſunt posita. Novem Regnicolarium Deputationum iſthic designatarum opera, materiam bene ordinandae Civitatis in ſe continent; ſuntque quasi totidem baſes, quibus Aedificium omne innititur.

Deputatio Politica. Ultra ea, quae de meliori Juventutis educatione, et Colonorum Conditione attacta sunt, Deputationi Politicae ſpeciatim incumbebat, *ut Regni Comitiorum, sive Diaetarum Coordinationem, tanquam ad pertractanda rite negotia Publica praeprimis neceſsariam elaboret.* Cum enim Leges in Comitiis ferri debeant, a Legibus vero

Civi-

Civitatis felicitas dependeat, de felicitate Publica actum eſt, nisi ordine, maturoque Judicio, Negotia Comitiorum expendantur.

Quod Legum effectum adtinet, ejusdem quidèm procuratio Regi attribuitur, ſed tamen per Conſilium Regium Locumtenentiale Hungaricum atque Magiſtratus Locorum, et Comitatuum exercetur. Fatendumque eſt: aetate poſteriori usu quaepiam invaluiſse, quaè ſaluberrimis faepe Legibus, Regiisque diſpoſitionibus rèmoram injiciunt. Et ideo Deputationi huic commiſsum eſt: *ut salva Activitate Conſtitutionali, relate ad magis ordinatam, et Legum Spiritui conformem Negotiorum pertractationem opportuna proponat.*

Contributionalis. Deputationis Contributionalis munus praecipuum fuerat: *Rectificatio Portarum. Norma deinde Dicationis, et Repartitionis Contributionis. Methodus facilior ejusdem incaſsationis, et ſecurioris Caſsarum Publicarum Manipulationis. Coordinatio Cassae domeſticae, et ad eandem ſpectantium onerum publicorum. Regulamentum Militare, et modus providendae, ſeu ſtativantis, ſeu transeuntis militiae. Planum denique dislocationis ejusdem.*

Quae

Quae hic commemorantur, publicam potiſsimum Rem Aerariam, ſive Regni Financiam reſpiciunt. Generales illius regulae, ut quam minimo Civium cum aggravio, neceſsitatibus publicis ſatisfiat, copiosa exempla dederat in Hetruria LEOPOLDUS. Eadem ubique Gentium locum habent. Dummodo ea etiam adsint adjumenta, quae inſtitutis suis LEOPOLDUS praemiserat; quaeve uberius, in ſpecialibus LEOPOLDINI Regiminis partibus, poſtmodum expendentur.

Urbarialis. Decretum porro eſt, ut in Urbariali Deputatione ſpeciatim recenſeatur: *Regulatio Urbarialis, et Syſtema Colonorum migrationis, ſuis cum Consectariis, tam Jura Dominorum Terreſtrium, quam et ipsum Publicum tangentibus.*

Commercialis. In Deputatione Commerciali, ea etiam adsummi debuerant, sine quibus Commercium nec inſtitui, neque induſtria Nationalis vel excitari poterit. *Praeter regulationem igitur Principiorum triceſimalis vectigalis, quibus pleraque commercii ſubſidia innituntur, horsum ſpectabat elaboratio Projecti provehendi Commercii publici et removendorum impedimentorum. Adaptandarum viarum,*

rum, Canalium, atque fluviorum. Item inducendarum fabricarum, augendumque Artificum, et Opificum numerum. Cultura item Serici, Propagatio majoris structurae Equorum, et id genus alia. Quia vero haec absque fundo publico perfici haud poterunt, hoc eodem articulo ad mentem a. 99. 1723. constituendae Casſae publicae Mediorum exquisitio identidem commendatur, atque *fundationes Speciem fundi publici habentes*, haec inter distincte commemorantur.

Montana. Res Montana, et Monetaria Regalibus quidem accensetur in Hungaria, Deputationi tamen Montanae attributa est. *Publica coordinatio rerum Montanisticarum, objectorumque Judicialium. Uti etiam elaboratio Projecti, qualiter removendorum impedimentorum, quae majori fodinarum Culturae poni solent, una cum relevatione gravaminum, eatenus per Montanas Civitates, atque Urburarios propositorum.*

Juridica. Deputationi Juridicae incumbebat: *Juridicorum Dicasteriorum, Fororumque Judicialium Coordinatio. Emendatio Processualis Ordinis, in quantum illam, seu major Processuum celeritas, seu majus sumptuum*

compendium postularet. Projectum utilium Legum Civilium, quae ad pleniorem Possessoribus securitatem procurandam, aut obturandos fontes, ex quibus inanes Lites oriuntur, aut denique conciliandam praeexistentibus Legibus majorem perspicuitatem pertinebant. Horsum etiam relata est, ita dictarum Decisionum Curialium discussio. Necessarii, modernisque moribus accomodi Criminalis Codicis elaboratio. Ad nobile Judicis officium pertinens, rerum Orphanalium manipulatio. Ac demum nova in negotio Cambiali, et navigationis constitutio.

Literaria. Deputatio Litteraria autoritate provisa est: ut sub Augusta adhuc MARIA THERESIA elaboratam Educationis rationem in disquisitionem assummat, proponatque: quod in eadem immutandum videbitur. *Qualiter restabiliendae Academiae Publicae, et Convictus, ceteraeque Fundationes, ac Stipendia pro Juventutis Patriae educatione destinata. Speciatim vero, qualiter erigenda formandae Nobilitati Hungarae non solum utilis, sed maximopere necessaria Militaris Academia. Qualiter successive augendae Scientiarum Academiae, fundanda excolendae Lingvae Patriae*

In-

Instituta, item Artium Liberalium, artis Sculptoreae, Pictoreae, et id genus aliorum pro Cultura Nationis requisitorum. Qualiter denique Puellae etiam, Matresfamilias aliquando futurae, atque ad primam succrescentium Civium Educationem plurimum collaturae instituendae sint.

Ecclesiastica. Deputatio Ecclesiastica disquirendam habuit *petitam quorumdam Religiosorum Ordinum restitutionem, Parochiarum Regulationem, et Dotationem, ac generatim piarum Fundationum ad utiles, atque necessarios Reipublicae usus adplicationem.*

Gravaminum. Peculiaris demum Deputatio nominata fuerat, quae ita dicta Postulata, et Gravamina Regni, *ad neutram Deputationum harum referri queuntia, elaboret.*

Consectaria Deputationum. Quidquid emolumenti aliquando, e Deputationum harum operibus, in Rempublicam redundabit, ejusdem fundamenta Providentiae Leopoldi grata posteritas attribuet. Si praesertim illa in Hetruria per Leopoldum ad summum apicem deducta fuisse conspexerit, quorum fundamenta eo Authore in Hungaria etiam posita fuerant. Faxint Superi! ut tenui penicillo

cillo adumbrata isthic Ejusdem destinata in plena aliquando luce collocentur. Et quia Leopoldus initio statim provocati de Regimine Magni Ducatus Hetruriae operis, Causas exponi voluit: ob quas indolem, et fundamenta Legislationis, publicaeque Administrationis suae, conspectui publico proponere constituerit, praeprimis operae pretium erit, ea quae horsum pertinent, ac praesertim quaestionem illam expendere: *An ex usu Civitatis sit, Legum rationes, et Administrationis publicae fundamenta, Populo cognita esse?* Sit igitur

SECTIO I.

DE LEGISLATIONE.

Leopoldini Regiminis ratio.

Mirum profecto videri quibusdam poterat, quid causae fuerit: quod Leopoldus summum absolutumque in Magno Ducatu Hetruriae Imperium obtinens, Legum tamen, Factorumque suorum rationes, subdito Sibi Populo reddere voluerit.

Communis olim erat opinio: Principes soli Deo rationes reddere debere. Quidquid Suprema Potestas constituisset, Populus eidem tenetur obsequi. Quin Arcana Regum propalare, instar piaculi habebatur.

At vero alia de hoc Leopoldi Sensa. Et ideo Institutorum Ejusdem explanationi praemittitur: *Suam Majestatem intime convictam esse, nullum aliud efficacius esse medium, fiduciam Civium erga Rectores Civitatum conciliandi, quam si momenta Legum, atque dispositionum Politicarum, sincere Populo explanentur.*

 Prout

Prout ex adverso, nihil magis Populum a Principe abalienat, quam si causae, et fundamenta horum Populo occulta, ac eo ipso suspecta sint. Malevoli certe optima quaequae sugillandi, pronam hac ratione occasionem nanciscuntur.

Atque hoc ipsum in causa exstitit: quod LEOPOLDUS Legum tam Politicarum, quam Oeconomicarum, Status item Rei Aerariae, ac reliquarum Administrationis publicae Partium fundamenta, conspectui publico exhibere decreverit.

Per alios etiam adoptata.

Valuit exemplum LEOPOLDI ad alios etiam cultiorum Nationum Principes: Qua enim olim sollicitudine arcana Administrationis tegebantur, eadem modo omnibus, si rudes, barbarosque aliquot excipias, explanantur. Nec solum Privatis de Republica licet differere, sed nova temporum nostrorum felicitate, prout apud veteres Graecos, et Romanos, ita apud nos quoque, ex iis, quae ad Rempublicam pertinent, scientia, studiumque peculiare enatum est.

Cur ratio Administrationis publicae palam constare debeat.

Et reipsa, si bona Civitatis Administratio, est maximum, quod Hominibus in Civitatem coalescentibus obtingere potest beneficium, ratio sane non adparet: cur ea Civibus ignota sint, quae vel maxime ipsorum fidem, atque erga Administrationem publicam grati animi declarationem provocare debent.

Natura Duce ea Homines diligunt, quae sibimet ipsis utilia esse cognoverint. Cur igitur oculi ipsis claudi debeant, ne utilitatem propriam videant? Prout ignoti nulla cupido, ita eorum neque amor, neque existimatio, quae nobis ignota sunt. Idipsum docet Saeculorum omnium experientia. Quid aliud exitio fuerat potentissimis tam veteris, quam aetatis nostrae Civitatibus, quam quod in locum fiduciae, atque amoris, quo Cives Rectori Civitatis necti debent, suspiciones, diffidentia, timor, atque odia clavum imperii obtinuerint? Exempla singularia adducere invidiosum esset. Historias Civitatum evolventi alioquin constat, plures intestinis Civium odiis, quam hostium exterorum armis eversas esse.

At fortasse non erant facturi illa, si indolem eorum Cives perspexissent, quae ipsis authoritate publica imponebantur? Id quidem contingit saepius. Sed neque sperari potest: ut diuturnitatem talia obtineant, quae insciis, invitisve imponuntur.

Falluntur etiam, qui indignum esse existimant, Populo Legum, dispositionumque Politicarum fundamenta revelari. An non enim haec omnia propter Populum? Quid aliud e contemptu talismodi, quam odium, atque erga Administrationem publicam vindictae studium pululabit.

Jura Civium. Jus certe cuilibet Civium competit, nosse, cui, et quare obediat. De Legum praesertim praestantia, ita Ille instructus esse debet, ut easdem sibi utiles esse persvadeat. Id vero non aliter fieri poterit, quam si voluntatem Legislatoris, et probe intellexerit, et eandem, dum utilitati publicae consulit, sibi etiam consulere intime perspexerit.

Diversitas Negotiorum Publicorum. Verum quidem est, pro diversitate Formae Regiminum diversam esse negotia publica pertractandi methodum. Diversam item negotio-

tio-

tiorum indolem. Ita Negotia, quae externam Civitatis Securitatem respiciunt, clam plerumque tractari debent. Nam secus Consilia optima aemuli intervertent. Universim tamen affirmari potest: id nunquam clam tractandum esse, quod palam tractari poterit.

Atque hinc repetendum est: quod aetate nostra in absolutis quoque Monarchiis, dum Supremae Potestatis voluntas Populo declaratur, occasio etiam, atque Causae, quibus eadem ad agendum impellitur, Populo explicentur, nec tam imperio, quam rationum pondere, ad obsequendum persvadeatur.

Quid per id Majestati Imperii sive Russici, sive Borussici detractum est, quod Instituta CATHARINAE II. FRIDERICI II. et VILHELMI II. tam autoritate publica, quam privatorum Lucubrationibus explanata sint? Quin potius eoipso grata Principum horum memoria, non solum apud Suos, sed omnes cultiores Populos perennis est reddita, decusque, ac dignitas ipsorum imperii constabilita.

Ridiculum profecto eſt, dum vulgaria Adminiſtrationis Publicae negotia, et ſumme neceſſaria ſaepius adjumenta, adeo ſcrupulose, ac intima Status arcana occultantur. Id vero plane probrosum, ſi penes omne taciturnitatis ſtudium Civitatis negotia magis Exteris, quam Civibus propriis cognita fuerint.

Sed neque magna in hoc Orbis theatro eſt Civitatis gloria ignorari. Prout quaelibet aliae Societates, ita etiam Civitates integrae ſuſpectae ſunt, quarum Adminiſtratio multis arcanis conſtat.

Exemplum Principum.

Illuſtriores aevi Noſtri Principes, illa etiam actorum, inſtitutorumque Suorum, in Lucem publicam proferri paſſi ſunt, quae cenſuram mereri videbantur. Inſigni certe Documento, quod non tam nominis ſui gloriam, quam veram Civium ſuorum utilitatem aucupentur.

Libertatis loquendi, et ſcribendi commoda, atque incommoda.

Ceterum, commoda Libertatis, de Legum, Adminiſtrationisque publicae indole differendi, ſunt plane multiplicia. Horum praecipuum, quod ubi haec obtinet, inde plerumque maxima Civitatum

tum peſtis, diffidentia inter Cives, et Supremam Poteſtatem exulare debeat. Ibi Princeps non tanquam Dominus a Subditis metuitur, ſed velut Pater a Filiis diligitur.

Vix uspiam amplior haec in Monarchia quapiam, libertas eſt, ac aetate noſtra in Dania. Et tamen quanta ibidem Regis obſervantia? quam illuſtris Boni publici, Principisque amor proximis hisce annis emicuit, dum Urbs primaria fatali incendio vaſtaretur? dum a navibus hoſtilibus ingenti vi oppugnaretur, et virtute majore defenderetur.

Sed neque Legum vitia, naevique Adminiſtrationis Publicae, absque libertate hac detegentur. Qui Munia publica obeunt, multis ſunt neceſſitudinibus obnoxii. Hi igitur ſaepius etiamſi vellent, non ſemper errores publicos detegere, atque emendare poſſunt.

Intereſt porro totius humani generis: ut Civitates ſe noſcant invicem. Jam olim Seneca ſapienter obſervavit, duplicem omnibus Hominibus datam eſſe Rempublicam, unam, quae omnes Homines complectitur, alteram, quae finibus Civitatis cujuslibet continetur. Quodſi Civitas quaelibet Admini-

niſtrationem ſuam myſteriis velit involvere, quid aliud, quam falsae opiniones, ſuſpiciones, mutuaeque averſationes exinde germinabunt? Commercia adhaerebunt. Ac ipsa etiam Securitas, tam externa, quam interna frequentius vapulabit.

Ceterum aetate noſtra ſimile quid tentare, vanus alioquin labor eſt. Quid nunc in iis, quae ad publicam Adminiſtrationem pertinent, occultum eſſe poteſt? Si aegre inter paucos Arcanum conſiſtere poterit, qualiter ſubſiſtent arcana Civitatum integrarum? Adſunt jam ubique fere Gentium documenta, e quibus reliqua etiam, quae ad publicum pertinent, erui, ac per Politicos etiam Calculos definiri poterunt. Adeoque inter Arcana Regni referri nihil reipsa poteſt.

Id praeterea, jam olim obſervatum eſt, quod vera libertas, licentiae vel maxime adversetur. Docent Gentium omnium Hiſtoriae, quod, quo magis metuebantur, eo frequentiores ſemper fuerint libelli famoſi, ſcriptaque Anonyma. Quove ſeverior horum erat prohibitio, eo avidius ſimilia captabantur.

Sed

Sed et eadem experientia teſtimonium perhibet, Culturam Morum, Scientiarum, atque Artium incrementum, ac reliquas felicitatis Civilis partes, apud plerasque Nationes, cum bene ordinata ſcribendi, loquendique libertate eſfloruiſſe. Conferat, cui lubet, Graeciam veterem cum Perſia, Romam liberam cum Roma ſub jugum miſſa. Noſtrae denique aetatis Civitates, in quibus cives ſenſa ſua palam depromere poſſunt, et in quibus nihil aliud ſcribere, ac loqui licet, quam quod quibusdam libet.

Qualiter ſemet mens humana perpoliet? qualiter ingenia meliora, quibus tamen Civitas omnis indiget, diſtingventur? Qualiter Nationis vitia, quibus nulla exempta eſt, emendabuntur? Induſtria qualiter excitabitur? Amor denique Patriae, et Principis qualiter comprobabitur, ſi de his nec cogitare, multo minus cogitationes in publicum proferre fas ſit?

Communem hanc omnibus Civibus libertatem Leopoldus per integros, quibus Hetruriam moderabatur viginti quinque annos illibatam conſervavit. Ejusdem verba ſunt: *Quidquid Suprema in Civitate Poteſtas*

agit,

agit, id palam dicere cuilibet liceat. Ideo palam actum eſt: ut ad cujuslibet notitiam perveniat. Si juſte, ac prudenter agimus, cur lucem publicam vereamur? In Hetruria moris huc usque fuerat, parum de Republica disſerere. Et ideo IpſemetAdminiſtrationem meam conſpectui publico proponere conſtitui.

At vero Limites Liberatis aliqui transgredientur? Nec tamen eapropter vincula libertati Civili injici poterunt. Si falsum dicit, refellatur. Si errat, corrigatur. Si calumnietur, animadverſione dignus eſt. Quodſi vero dolo malo quietem publicam turbare velit, ut hoſtis publicus coerceatur.

Inſignis deLegibus Opinio. In eo certe omnes conveniunt, qui Civitatum fundamenta ſcrutabantur, conandum eſſe: ut de Legum, quibus Cives gubernantur, praeſtantia, inſignis apud Cives opinio procuretur. Eapropter plerique veterum Legislatorum ad Deos recurrerunt, Legesque ſuas a Diis repetebant. Aetate noſtra opinio iſta non aliter procurabitur, quam ſi Legum neceſsitas, et commoda Populo explanentur. Adeoque de iis etiam, quae ad Legislationem pertinent, ſcribere, atque loqui liceat.

Verum

Verum quidem eſt Leges eſſe, neceſſaria tam publicae, quam privatae felicitatis adjumenta. Sed quotus quisque id intelligit? Lex Libertati naturali limites ponit. Natura Duce nitimur in vetitum. Niſi igitur mentibus noſtris, alte impreſſa de Legum bonitate opinio nos contineat, paulo poſt illas transgrediemur.

Qualiter procuranda? Ut autem inſignis de Legibus opinio procurari valeat, duo vel maxime curanda erunt. Alterum, ut illi, qui Leges ferunt, fiducia Populi digni. Alterum, ut Leges ipsae, bonarum legum dotibus inſtructae ſint.

Quid circa Legislatores. In delectu eorum, qui qualitercumque ad Legislationem influunt, cura nulla ſuperflua cenſeri poteſt; debentque hi, et poſſe, et velle, leges Civitati ſaluberrimas conſtituere. Sed et tempus iisdem ſufficiens concedi debet, ut omnia legis commoda, atque incommoda maturo judicio poſsint expendere. Romanorum trinundinum pro legis ſingulae examine diebus viginti ſeptem perdurabat. Certi itaque Cives eſſe poterant, reprobatam fuiſſe Legem, niſi utilitas ejusdem conſtitiſſet.

Docet

Docet etiam experientia, ingens temporis fieri dispendium, et vix consummati quidquam produci posse, si multi nimium ad legislationem influant. Dum suam quilibet tuetur sententiam, alterius impedit. Sed neque vel concipi potest: ut plures eundem ordinem, et cogitandi rationem teneant.

Legum Rationes. Legibus autem rationes addere, vel ex iis consultum esse luculentum est, quae hucusque dicta sunt. Voluntas intellectum tanquam facem suapte sequitur. Neque de effectu illius dubitandum est, ad quod rationum pondere homines impelluntur. Ita enim non tam Legibus, quam rationi propriae obtemperant.

Objicitur quidem: Leges hac ratione prolixas fore. Incassum vulgo Legum rationes explanantur, vulgus illas neque assequitur. Populus in Aristocraticis, et Democraticis Regiminum formis, alioquin ad Legislationem influit. In Monarchicis, sola obsequii gloria relicta est.

Verum in ferendis Legibus posteritatis etiam ratio habenda est. Quo Jure a Posteris legum nostrarum observantiam praetendere possumus, si fundamenta illarum ignota ipsis

ipsis fuerint? Legum praeterea rationes captui Populi accomodari debent, et facilè praecaveri potest, ne prolixae sint. Cujuslibet denique lègislatoris interest, ut legis suae rationem reddendo, se porro etiam eorum, quibus leges dat, fiducia dignum comprobet.

Sapienter Plato de Leg. Dial. IX. *Sic Leges Civitatibus praescribantur: ut Patris, Matrisve Personam Legislator gerat; Ejusdemque scita, prudentiae, charitatisque notam habeant potius, quam Domini, Tyrannique imperium, minitantis tantum, et praescribentis, rationem vero nullam assignantis.*

Legum omnium Scopus.

At vero, in quo subsistunt legum omnium rationes? Eaedem certè e scopo cujuslibet Civitatis repetendae sunt. Felicitatis videlicet obtinendaè causa Homines in Societatem Civilem convenerunt. Adeoque Legibus etiam semet ejusdem causa subjecerunt. Et neque Leges sunt aliud, quam media communem Societatis scopum obtinendi. Hic autem, non alter fuerat, quam felicitas, qua extra Civilem Societatem destituebantur.

Civilis Felicitas. Quid vero eſt Civilis Felicitas? Haec profecto in Securitate, et Commoditate vitae rite conſtituitur. Nam quamvis diverſae ſint felicitatis partes, ſive potius nomina; hae tamen omnes ad ſecuritatem, ac vitae commoditatem facile revocantnr.

Quam nempe alii Libertatem, alii Proprietatem nominant, nihil illa eſt aliud, quam ſecuritas Actionum, Perſonarum, Honoris, atque Bonorum. Libertas ad Actionum, Perſonarum, et Honoris; Proprietas vero ad Bonorum Securitatem extenditur. Legum igitur Scopus eſt, hanc nobis praeſtare ſecuritatem. Adeoque ſub Legum praeſidio, tuta, ſecuraque Civibus haec eſſe debent omnia.

Leopoldi Legislatio. Legum, atque Legislatorum Obligationem, quantopere ſibi cordi ſumpſerit Leopoldus, teſtis eſt omnis Ejusdem Legislatio in Hetruria. Noverat Ille Libertatem Civilem laedi poſſe, non ſolum e parte Civitatis hoſtium, atque concivium, ſed ſubinde e parte etiam Supremae Poteſtatis, tam qua Legislatoris, tam qua Judicis.

Legislator Libertatem Civilem laedit, ſi limites Poteſtatis hujus transgrediatur. Quemad-

admodum enim praecipere, vel prohibere Legislator poterit, quidquid ad Civitatis, et Civium felicitatem pertinet, ita dispositioni ipsius obnoxium esse nequit, quod scopum istum nullatenus respicit.

Qua Judex, Suprema Potestas authoritate sua abutitur, si Civium fortunae, honor, et persona arbitrio Judicis relinquatur. Limites igitur Judicialis Potestatis LEOPOLDUS designavit, Orbisque universi testimonium obtinuit: quod Eodem in Hetruria imperante, et certa Delinquentes manserit poena, et tuta sub Legum praesidio fuerit innocentia.

Hinc ille amor, et veneratio Subditorum erga LEOPOLDUM. Nam prout non aliter magis a Legibus, atque Legislatoribus Populus avertitur, quam si Libertatem, Proprietatemque suam arbitrio alterius exponi videat, ita nihil arctius ipsum devinciet, quamsi Legibus provisum fuerit: ut Libertas Actionum non plus, quam Scopus Civitatis postulat restringatur, et industria sua partis secure omnis perfruatur.

Legum Qualitates. Id quoque sapienter providerat LEOPOLDUS: ut leges suas indoli Nationis, quam regebat accommodaret. Ejus-

dem praeterea Leges erant breves, perſpicuae, ac debite promulgatae.

Verum nempe eſt illud, quod poſt Ariſtotelem Montesquieu de Spiritu Legum L. 26. uberius explicat: *Niſi lex accommodata ſit ad naturam, ſive indolem Nationis, Legis nomen non meretur. Neque Respublica ad Legem, ſed ad Rempublicam Leges accommodari debent.*

Inſigne Legum brevitatis exemplum exhibet Divina Legislatio in Praeceptis Decalogi. Sed et apud Romanos primaevae 12. Tabularum Leges, imitatione dignae erant; et plerumque a pueris memoria tenebantur, atque, in convivio decantabantur.

Aetate poſteriori, mole Legum non ſolum Romani, ſed et pleraeque Nationes aliae laborare ceperunt. Corruptae videlicet Civitatis, certum eſt indicium, multae Leges.

Huic etiam malo conſuluit in Hetruria Leopoldus, dum Leges omnes in compendium redigi, atque obſoletas velut Rabularum ſolummodo latebras, e Legum ſerie eliminari juſſit. Valuit exemplum ad plures Septemtrionalis potiſſimum Europae Principes. Atque utinam apud nos etiam, dudum deſidera-

derato salutari huic operi, manus tandem imponereur!

Bonus ordo ad Legum tam brevitatem, quam perspicuitatem plurimum confert. Tam ab Anno 1439. Alberti videlicet Regis a. 1. Legum, et Consvetudinum Regni Hungariae reformatio continuo desideratur. Sub Carolo VI. Ejusdem D. 1. a. 24. 59. et 124. denominati erant complures, *quibus elaboratio Systematis in Politicis, Militaribus, Juridicis, atque Oeconomicis pro Regnis Hungariae, et Croatiae speciatim commissa fuerat.* Fato accidit: ut idem etiam LEOPOLDI II desiderium, mors interrumperet. Spes interim nobis superest in modo Regnante Optimo Rege nostro FRANCISCO II, ut Abavi, Patrisque sui, et omnium fidelium Hungarorum vota feliciter tandem compleat.

Ad perspicuitatem porro pertinet: ut Leges eodem ab omnibus sensu intelligantur. Justa Livius censura Romanorum circa Leges mysteria carpit, apud quos donec Flavius Legum arcana evulgasset, omnis fere ipsarum cognitio in Penetralibus Pontificum delitescebat; hique Legum formulas, tanquam e Phoebi cortina edicebant.

Tam variae igitur Legum interpraetationes, atque Judiciorum circa Legis intellectum Decisiones, non optimam de Legum praestantia, opinionem ingenerant. Quid? quod in quibusdam Civitatibus Leges peregrina Civibus Lingva concinnentur? et neque de eo quisquam est sollicitus, ut Leges per eos, quorum salus, et fortunae ab iisdem pendet, vel intelligantur? Quid mirum igitur, si Cives in Leges, tanquam in laqueos, et Pedicas incidant?

Quod si Lex sua forma non promulgetur, atque ad notitiam Civium non pertingat, a poena certe eandem transgrediens excusari debet. Passim quidem oggeritur: Ignorantia Legis excusat neminem. Sed qualiter id me obligabit, quod ad notitiam meam pertingere neque potuit? Teneris certe Adolescentum mentibus, Leges, sub quibus victuri sunt, imprimendae; atque e Sacris etiam Pulpitis saepius promulgandae forent, Idenimvero, venerationem Legibus conciliaret, et neque Dignitati sacrorum derogaret.

Obligatio. Peculiare etiam in LEOPOLDI II. Legislatione id fuerat: quod omnes

nes Imperio ſuo obnoxios, iisdem Legibus, obligari voluerit. Cum enim ſub aequali Legum Praeſidio, aequali Cives omnes ſecuritate perfruantur, aequum eſt: ut Legibus etiam aequaliter obligentur.

Exeptiones a Regula, ſive ſingulae a Lege communi exemptiones, ſunt totidem Ejusdem vlunera. Qui a Legibus exempti, earum etiam protectione indigni ſunt. Legum efficacia a communi obligandi vi dependet. Secus enim ſe quilibet a Lege eximere conabitur.

Et reipſa, ſi decus, bonumque eſt a Lege communi eximi, eidem obedire dedecus, malumque eſſe debet. Si bene de Republica meriti a Lege eximantur, Merita ponentur, id eſt: Cives Legibus obſequentur, ut ſemet iisdem eximant; ſive vincula disſolvant, quibus Civitas omnis continetur.

Omnibus igitur in Civitate degentibus Leges tulit Leopoldus; iisdemque omnia complexus eſt, quaecumque, ſive ad publicam, ſive privatam Civium felicitatem referuntur.

Complurium Nationum Leges de meo ſolum, et tuo agunt. Quin jam olim Plato obſer-

servavit, de Leg. Dial. IV in multis Civitatibus contigisse: *ut aliqui Civium ad se solos, Rempublicam, ejusdemque Munia, et Commoda omnia pertraxerint.* Has quidem negat ille esse Civitates. Neque Leges sunt, quae non sunt omnium Civium Causa positae. *Neque Cives, sed seditiosi censendi sunt, qui aliquarum partium Causa Leges condunt. In Legibus enim ferendis non ad unum, vel paucos Tyrannos sed ad salutem publicam, sive Commune, id est plurium bonum respiciendum semper erit.*

Observantia. Nec sufficit accommodas Saluti Civium tulisse Leges, sed id vel maxime curandum erit: ut eaedem effectui etiam mancipentur. Praestat certe Leges non existere, quam easdem non observari. Ita enim fores licentiae aperientur, ac boni etiam mores, qui saepe deffectum Legum supplere possunt, e Civitate proscribentur.

Pravissimum profecto Legislationis opus, ludus, jocusque erit, si quam hodie Legem tuleris, cras eandem impune violare liceat. Et tamen quotidiana levitatis istius exempla intuemur.

Sed

Sed neque aliter fieri poterit, ſi Poteſtati Executivae vires, ſive elateria Regiminis defficiant. Si iisdem Legum effectuatio committi debeat, quorum intereſt, Legem violari; aut ſaltem parum intereſt, eandem obſervari.

Abolitio. Et ideo ingens reipſa Reipublicae vitium eſt, ſi Leges autoritate privata, ſive ut quidam dicunt, non uſu, et consvetudine contraria abrogare liceat. Qualitercumque uſurpata adverſus Legem autoritas, Securitati communi inimica eſt. Si non uſus Legem ſufferre poteſt, omnis ejusdem vis ab illorum pendet arbitrio, qui eadem obligantur. Qualis autem Obligatio, ſi me eadem impune poſſum eximere?

Neque dixeris: in Legis violationem Legislatorem conſentire. Cum eandem non puniat. Sed quidſi ad Ejusdem notitiam violatio neque pertigit? Legislator Legi promulgatae inhaerere usque eo praeſummitur, donec Lege contraria eandem non ſuſtulerit. Per quod aliquid coaluit, per id etiam diſſolvi debet.

Quidſi autem lex obſoleta, moribusque modernis minus idonea videatur? Sed quis

te Legum Arbitrum conftituit? An Tu in Specula Reipublicae, ex qua Felicitatis publicae nexum perfpicias? Si de Legibus Judicium quilibet fibi arrogare potuerit, non alii Leges obfervabunt, quam qui illas in cenfuram vocare nolunt, aut nequeunt.

Quamvis igitur Confvetudo praeter Legem, nulla tamen contra Legem valere poteft. Atque his e Fundamentis, LEOPOLDUS in Hetruria, omne Jus Confvetudinarium fuftulit. Fluxa enim, inquiebat, et inftabilis eft Civitatis Conftitutio, quae non tam ex indole Civium, et Civitatis deductis Legibus, fed arbitrariis Confvetudinibus innititur.

Mutabilitas. Nec tamen ex his confequitur: Leges mutationibus obnoxias haud effe. Nihil in rebus humanis ftabile. Non eft mortale, quod optant, qui Leges fuas aeternum durare, et neque a Pofteris unquam mutari volunt. Leges enim temporum, morumque viciffitudinibus accommodari debent.

Illuftrat id Plato Medici, et Navarchi exemplo. *Secus omnia, inquit, fubvertentur, atque ob hanc ipfam, veteribus folum Legibus infiftendi pertinaciam nunquam amplius renafcentur.*

Re-

Rerum humanarum cursus eſt: ut veteraſcant, et renoventur omnia. Solon Athenienſibus, et poſt eum complures Legislatorum ſanxerant: Leges ſtatis temporibus recognoſcere. Quod interim novitatum ſtudium, plenum periculi opus ſit, exemplo ſuo docuerunt Athenae, docuitque Roma, quae hoc veneno, ut poſt Demoſthenem, Cicero queritur, implicita, libertatem perdidit; atque arbitrario unius Dominatui locum dedit. Leges profecto ipsa vetuſtas venerandas facit. Sed et plerumque Homines feliciores ſe reputant, ſi iisdem Legibus, quibus Patres ſui, gubernentur. Nec vane populus ſuſpiciatur, nondum optima gubernandae feliciter Reipublicae adjumenta delecta eſſe, ſi Leges frequentius commutentur.

Ceterum Leges a temporariis, atque e Jure Supremae Inspectionis profluentibus Politiae diſpoſitionibus rite diſtingvi debent. Illae Libertatis, ac Proprietatis Civilis tutelam pro ſcopo habent. Adeoque, quo diutius oportet illas perſiſtere. Hae autem improviſis Civitatis necesſitatibus conſulunt, ac rationi temporum ſe accomodant. Saepius

pius igitur mutari possunt; imo ex indole sua mutari debent.

Dubietates. Et quia perspicuitas praecipuis Legum dotibus juxta praevia accensetur, suapte consequitur: Legum venerationem multum dimminui, si multa in iisdem occurrant dubia. Leges igitur concinnantibus, Styli claritas, verborumque delectus non satis commendari poterit.

Prout aetate nostra in Anglia, ita olim apud Locrenses peculiaris Lex fuerat, ne unquam in Judiciis a verbis Legum decederetur. Existimabant enim Viri prudentes, ad Rempublicam conservandam plus facere Legum, quam Magistratuum potestatem. Leges enim purae, ac tranquillae mentis instar sunt in Civitate; Magistratus vero subinde coecutiunt, et humanis affectibus agitantur.

Pulcherrima Legislationis est laudatio, venerandum de Legibus silentium, id est: paucissimae sive in Scholis, sive in Judiciis de Legum intellectu controversiae. Sermo certe Legislatoris, uti Quintilianus tradit, et doctis sit probabilis, et planus im-

pe-

peritis. *Non ut intelligere posſint, ſed ne omnino posſint, non intelligere.*

Recenti apud nos e LEOPOLDI II. D. a. 3. et FRANC. II. D. I. a 2. eſt in memoria, quantas in Diplomate CAROLI VI. non ſatis apte adhibitae de Coronatione Regia voces *praeter*, item *toties quoties* jam occaſione Coronationis MARIAE THERESIAE dubietates pepererint.

Praeju-dicia. Sunt denique diversae in qualibet fere Civitate opiniones praeconceptae, ſive praejudicia, quae Legum exiſtimationi, atque obſervantiae multum officiunt. Haec, prout ad conciliandam Legibus Autoritatem ſubinde prodeſſe, ita etiam obeſſe poſſunt. Ad haec igitur Legislatori ſpeciatim advertendum erit.

Tale eſt, quod omnis Legum efficacia a poenarum ſeveritate repeti debeat. Adeoque Leges, quibus Sanctio poenalis robur addit, Religionis adjumento non indigeant. Sive ut paſſim dicitur. *Leges Civiles interne non obligant.*

Opinionem hanc jam olim Cicero de Legibus L. I. inſigniter refutavit. *Si ſolus inquit metus ſupplicii terret ab injuriosa, fa-*

ci-

cinorosaque vita , nemo est injustus ; at incauti potius censendi sunt improbi. Si vero non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate sola, et proemio, callidi sumus , non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi Testem, et Judicem ? quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum, atque solum.

Sit itaque, concludit idem : *persvasum Hominibus Dominos esse, ac Moderatores rerum omnium Deos, atque ea, quae geruntur, eorum vi, ac Numine geri, eosque de genere humano quam optime mereri, et qualis quisque sit, quidve in se admittat, intueri.*

Sed et plerique aetatis nostrae Politicorum in eo conveniunt: doctrinam de Deo, et de vita altera, in quavis Republica ad Legum observantiam esse summopere necessariam.

Est videlicet Religio non solum futurae beatitatis nostrae fundamentum, sed et svavissimum Societatis Civilis vinculum, sine quo eadem absolute consistere non poterit. Et nisi Religio in subsidium advocetur, nulla illum humana prudentia coercebit, quem animi perturbatio, ignorantia,

oc-

occaſio, ſpesque impunitatis ad ſcelus provocaverit.

Quid? quod absque Religione nulla ſit Juramentorum Sanctimonia? Jam autem Civitati ſaepenumero jurata fide opus eſt. Ab hac dependet in multis adhuc judiciis innocentiae purgatio, Criminum punitio, controverſarium deciſio, et non raro Status Civitatis totius conſervatio.

Scipio poſt infelicem ad Cannas pugnam Populum Romanum, ne in Siciliam decederet, ſola Juramenti Religione continere potuit. Eapropter dicit Montesquieu: *quod Roma tum fuerit navis fluctuans, quam duae ſolum anchorae, Religio nempe, et mores boni ſuſtinebant.*

Atque e nexu illo, quo Religio Legum etiam Civilium obſervantiae nectitur, iisdemque opitulatur, munus Reipublicae erga Sacra, eorundemque Miniſtros, tanquam praecipuos Legum, internaeque Civitatis Securitatis cuſtodes profluit. Hacque etiam de cauſa Leopoldus, ſe hoc cum munere per omne Regiminis Sui tempus tantopere occupavit.

Ex

Ex hoc etiam consequitur: falsam esse opinionem illam, quod poena pro satisfactione publica reputari valeat. Ideo poena Legibus additur, ut ipsarum observatio eo sit certior. Qualiter igitur id obligationem sufferet, quod recte ad ejusdem stabilimentum additum fuerat? Et alioquin satisfactio, in plerisque Legum transgressionibus est reipsa impossibilis.

Neque adstrui potest, arbitrium Civibus relictum esse: ut vel Legi obsequantur, vel poenam subeant. Quodsi enim erga poenam per Legem constitutam transgredi eandem liceat, Leges, quae tuendae Securitatis causa inductae sunt, eandem perturbandi licentiam impertient.

Sed et Religionum, praesertim vero Christianae principiis doctrina talismodi adversatur. Docet haec *Servos Dominis ex animo obedire*, *et Potestati Superiori propter conscientiam subjectos esse*. Neque igitur procusa recentius *inter Forum Fori*, *et Forum Poli* distinctio sustineri poterit.

Ad haec itaque, hisque similia advertere, eademque e Scholis, Locisque aliis, e quibus prona est in animos Civium deri-

va-

vatio, tempeſtive prohibere, ad bonam de Legibus opinionem conciliandam, vel maximè pertinet.

SECTIO II.

DE ADMINISTRATIONE

Justitiae in genere.

Civitatis Obligatio quoad Juſtitiae Adminiſtrationem.

Suum cuique tribuere, primum Civitatis, ſive Adminiſtrationis Publicae munus eſt. Sua enim tuendi Causa in Societatem Civilem Homines convenerunt. Et ideo etiam LEOPOLDUS, poſteaquam totius Adminiſtrationis Suae rationes Publico reddere conſtituiſſet, primum in iisdem Adminiſtrationi Juſtitiae locum attribuit.

Reliquae Adminiſtrationis publicae partes, de eo plerumque agunt: quid Civitati ſit utile. Adminiſtratio vero Juſtitiae tam ſingulorum Civium, quam Civitatis totius necesſitati conſulit. Dumque pro horum Se-

cu-

curitate excubat, primevae reipsa obligationi suae satisfacit.

Absque hac certe nulla Societatum Civilium consistere poterit; et velut destitutum fundamento aedificium dissolvetur. Hoc ab initio Civitatum primum cujuslibet Supremae Potestatis munus erat; ac hodiedum Civitatis Princeps, una Judex Supremus est. Quamquam aetate nostra, munus istud, plerumque delegata Potestate ab aliis exerceatur.

Divisio Administrationis Justitiae. Cum autem Securitas alia sit Publica, sive Civitatis, alia Privata, sive Civium. Administratio etiam, alia est Justitiae Criminalis, aila Civilis. Illa praeter directam Civitatis, eandemque repraesentantis Supremae Potestatis Securitatem, sub pu lica etiam Protectione existentem Civium Personam, Actiones, et Honorem, fere ubique cultiorum Gentium protegit; haec autem potissimum circa Securitatem Bonorum, sive ut vulgo loquimur, circa meum, et tuum se occupat. Illam vi muneris sui Magistratus Publicus debet suscipere, hujus autem prosecutio arbitrio Civium relicta est. Ad munus tamen Civitatis

tis pertinet, promptum eandem imploranti Civi praeſtare auxilium.

Ordo Proceſſualis. Supponit utraque Leges ſcopo Civitatis conformes; iisque inſtructas viribus, quae ad tuendam Securitatem ſufficiant. Cumprimis autem rite inſtitutus ordo Judiciarius, ad rectam Juſtitiae Adminiſtrationem eſt absolute neceſſarius.

Quemadmodum Civitates aliae, ita etiam Hetruria viciſſitudines plures ſubiverat; indeque factum eſt: ut Juſtitiae Adminiſtratio moribus, usuique temporis illius, dum Leopoldus Gubernationem adiverat, haud amplius accommoda videretur. Nec tamen plus quidquam faceſſebat incommodi, quam Fororum Judiciariorum multitudo, et norma Proceſſualis nimium ſumptuosa, ac ſerotina.

Multiplices illorum querelae, qui Judiciorum praeſidio eguerant, ad aures Principis Civium Suorum ſtudioſiſſimi pertigerunt. Pro Sua Ille perſpicacia, agnovit facile: Normam Judiciorum Moribus vetuſtis opportunam, aetati modernae non amplius convenire.

Quaepiam igitur, e Judiciis valde frequentibus penitus ſublata, alia transformata, modernaeque Civili neceſſitati accommodata ſunt. Norma autem Proceſſualis, et brevior, et minus ſumptuoſa ita praeſcripta fuit: ut tamen Securitati litigantium abundanter conſuleretur.

Objecta Juſtitiae Adminiſtrationis.

Et quia universa Juſtitiae Adminiſtratio, omnisque Ordo Proceſſualis, ad duo objecta commode reducitur. Alterum videlicet, ſi Proceſſus Judiciarius conſideretur in genere, horsumque referantur omnia, quae ad ipsam Proceſſuum pertractationem pertinent. Adeoque Proceſſuum ita dicta Praeparatoria, ſub defluo Proceſſu occurrentia, ac demum terminatis coram Judicio Proceſſibus, eosdem conſequentia rite inſtituantur.

Alterum vero, ut indoles ſingulae Proceſſuum ſpeciei, et quae ad illam pertinent, ſpeciatim determinentur.

Leopoldus de utroque hoc Adminiſtrationis Juſtitiae objecto; adeoque universo Proceſſuali Ordine, et per id procurata Civibus ſuis ſecuritate, inſigniter ſane eſt meritus.

Quid

Codex Criminalis. Quid enim aliud in ſe continet Codex Criminalis Hetruriae, anno 1787. per LEOPOLDUM editus, quam parte prima generalem procedendi normam cum delinquentibus, altera vero indolem, atque poenas delictorum in ſpecie? Atque hoc ipsum exemplar, ſecuta eſt Regnicolaris Deputatio Juridica a. 67. 1791. ordinata in *Codice de Delictis, eorumque poenis pro Tribunalibus Regni Hungariae, Partiumque eidem adnexarum.* In hoc etiam Parte I. Forma Procedurae cum Delinquentibus pertractatur. Parte II. de Delictis, poenisque ſpeciatim agitur.

Codex Civilis. Codicis Civilis elaboratio cum discesſu quidem LEOPOLDI ex Hetruria, et morte digni longiore vita Joſephi Vernaccini, cui opus hoc commiſſum fuit, aliquantum adhaeſerat. Sed ejusdem materia, omniaque horsum neceſſaria, ſapientisſimis LEOPOLDI Legibus, atque dispoſitionibus jam pridem elaborata erant. Indoles ordoque illius elucet ex Codice Criminali.

Idem hic ordo, elucet etiam ex opere Juridico Deciſionum, ſeu Praejudiciorum Curialium, quod in Hungaria anno 1770

Jussu Augustissimae Reginae Mariae Theresiae per ordinatos eatenus Deputatos collectum fuerat. Nam hujus etiam Pars I. ea complectitur quae ad ipsam Processus Judicialis methodum, formamque pertinent, atque ipsam veluti ordinis Processualis compagem efficiunt. Pars altera diversarum Actionum, quas Leges Regni tribuunt, species in se continet.

Et reipsa hoc maxime naturali, atque apud nos etiam Civitate donato Ordine Codex Civilis pro Tribunalibus nostris elaborandus esset! Praemissis videlicet generalibus Principiis Leges adhuc in usu exstantes cum Decisionibus, tanquam totidem Legum explanationibus conferre, quodve e collatione hujusmodi resultaret, in Codicem referre oporteret.

Necessitas operis istius cuilibet patet, qui ad molem Legum nostrarum, jam extra usum positarum, modum item procedendi coram Judiciis vicissitudine temporum saepius immutatum animum adverterit. An non complura Verböczii, et Kittonichii dubia, divinando saltem debemus assequi?

Opus

Opus hoc per Acta Deputationis Juridicae a. 67. 1791. ordinatae multum allevatum eſt. In ſequentibus ad Inſtituta Leopoldi in Hetruria ſingillatim reflectendo, quaepiam ex illis commemorantur, quae primum quidem ad Criminalis, deinde vero ad Civilis Juſtitiae Adminiſtrationem pertinent.

SECTIO III.

DE ADMINISTRATIONE
Justitiae Criminalis.

Neglectus Criminalis. Vix uspiam Gentium apud veteres, ea, quam gravitas rei exigit, Administrationi Criminali attentio tribuebatur. Id certum: quod eadem Civitatis totius, et vel maxime, personalem Civium securitatem afficiat. Et tamen, quo majore sollicitudine Civilis Jurisprudentia jam olim excolebatur, eo minor eorum cura apparebat, quae ad Criminalem Jurisprudentiam pertinent. Ita videlicet plerumque Homines comparati sunt: ut ea, quae parum ad se attinere existimant, parum etiam curent. Quilibet fere tantum se ipsum diligit, atque aestimat. Ac licet tristia quotidie infelicitatis humanae documenta intueatur, eadem tamen, quasi a se aliena, neque unquam sibi eventura autumat. Quotusquisque est, qui illud Poetae sibi applicet; *Homo sum, nihil humani alienum a*

me

me reputo. In Civitatibus certe id eo magis mentibus noſtris deberet eſſe inſitum, quod Cives omnes peculiari invicem vinculo devincti ſimus.

Veſtigia Culturae Veterum. Occurrunt quidem in Legibus veterum complura eorundem Humanitatis argumenta. Sic in Colomanni Regis Hungariae Decreto I. circa annum 1100. promulgato, memorabilis ſane eſt Lex 57. qua praecipitur: *ut de ſtrigis, ſive ſagis, quae non ſunt, nulla quaeſtio fiat.*

Fatendum eſt interim, pleraque Legum hujusmodi extra uſum poſita eſſe, atque inſtar Fulguris in tenebris, paulo poſt intercidiſſe. Ubique fere illorum vita, et fortunae qui Judicio Criminali conventi fuerant, a ſolo plurimum Judicis Arbitrio dependebant.

Leopoldi Legislatio. Eo ampliori igitur grati animi ſignificatione, non ſolum Hetruria, ſed univerſum genus humanum Leopoldo obſtrictum eſt, quod Lege publica arbitrium Judicum reſtrinxerit; Suaque autoritate, nova Juris Criminalis, et verae Libertatis, Securitatisque Civilis principia conſtabiliverit. Deducuntur ex his ſequentia:

Delicti, et Poenarum Indoles. Delictum eſt violatio libera Legis poenalis. Quod factum eſt, infectum fieri nequit. In poenarum igitur determinatione Legislator non tam praeterita, quam futura ſpectare debet. Hinc poena recte definitur eſſe malum, quod Legislator intentat, ut Legis transgreſſionem impediat.

Ex hoc conſequitur poenae cujuslibet Scopum eſſe Emendationem, ac Exemplum. Quoad Delinquentem videlicet: ut idem emendetur, aut ſi emendari pro usu Civitatis amplius nequit, ulterior ipſi delinquendi facultas adimatur. Quoad Civitatem vero, ſive Cives reliquos poenarum Scopus eſt: ut iidem metu poenae a delinquendo abſterreantur.

Nec vindicta igitur, neque ſatisfactio poenarum Scopus eſt. Illa Legum Sanctitatem dedecet, ipſumque vindicativae Juſtitiae nomen probro afficit. Haec autem, ſaepe eſt impoſſibilis, et plerumque inutilis.

Menſura. Quod Delicti, poenaeque modum, ſive Menſuram attinet; Securitats quidem Civilis, tanquam Legum omnium Objectum, et Salus publica, tanquam ſuprema Lex, delictis menſuram ſtatuit; veramque

eo-

eorumdem Proportionem determinat. E diversis autem Legibus, quo majorem aliqua ad Societatis Civilis Securitatem influxum habet, eo gravius violatione Ejusdem Delictum admittitur.

Nec tamen Delicti gravitas, a solo damni exinde in Rempublicam redundantis pondere aestimari poterit. Delinquentis etiam culpa, vel malitia in considerationem per Judicem summi; ex hocque concludi debet: an non majori adversus hunc, quam adversus alium, ejusdem licet Legis Transgressorem, poenae Severitate indigeat?

Damnum e Delicto in Civitatem redundans Delicti quantitas, culpa vero, aut malitia Delinquentis, Delicti qualitas compellatur. Atque ita Delicti gravitas, ex ejusdem quantitate, et qualitate, in considerationem simul sumpta, aestimatur.

Delicti quantitatem Legislator determinare debet. Verum Delicti qualitas quolibet fere in Casu diversa, Judicisque discussioni substrata est.

In hac, culpa a malitia, item diversi Culpae, vel Malitiae gradus, a se invicem distingvi, suaque gradibus singulis distincta

poe-

poena, reflexe etiam ad majus, minusve Societatis damnum assignari debet. Secus, debita delictum, ac poenam inter proportio observari vix poterit, omnisque Delicti imputatio, ac poenarum proportio, a Judicis iterum arbitrio dependebit.

Culpa est, dum effectus praeter directam agentis intentionem evenit; ejusdemque gradus primus est, dum actus valde remotam cum effectu connexionem habet. Gradus secundus est, dum e praecedente actu effectus facile sequi poterit. Tertius est: dum effectus, qui evenit, facilius ex actu sequi poterat, quam qui directe intendebatur.

Malitia, sive dolus adest, dum id reipsa accidit, quod intenditur. Ejusdem gradus primus est, dum ex Passione, nimiaque animi perturbatione; secundus, dum nulla vehemens urget perturbatio, sed consulto aliquid contra Legem committitur, aut quod Lex agendum praecipit, intermittitur. Tertius demum gradus est, dum plura adsunt momenta, ne Delictum suscipiatur, humanitatis attamen, civilisque Societatis vincula consulto perrumpuntur.

Ad

Ad ſingulos hosce, cujuslibet in ſpecifico Delicti gradus, poena quidem per Legem determinanda, Limitesque conſtituendi ſunt, quos Judex praetergredi nequeat, ob diverſas tamen Caſus ſinguli aggravantes, alleviantesve circumſtantias, tam gradus Delicti, quam etiam intermedia poenae legalis determinatio, Judicis Sententiae relinqui debet.

Regulae Imputationis. Ex hoc etiam praecipuae Delictorum Imputationis Regulae deducuntur. Nemini videlicet Actio imputari poterit, niſi et libere egerit, et quid ageret, intellexerit, aut ſaltem intelligere potuerit. Non tantum igitur caſus, et coactio, ſed et error, atque ignorantia imputationem impedit. Quove major fuerit Delinquentis libertas, et intelligentia, eo major eſſe debet Delicti imputatio. Hinc etiam electio inter duo mala, poenalis eſſe nequit, niſi notabilis intercedat improportio.

Sed neque Actiones indifferentes poenae ſubjici poterunt. Non enim Legislatio aliud prohibere poteſt, quam quod ſcopo Civitatis, ſive ſecuritati Civili adverſatur.

E talibus igitur actionibus, quae Legibus per expressum prohibitae non fuerint, malum aliud metuendum haud superest, quam quod ipsamet actus perpetratio, natura sua secum fert.

Distinctio etiam, inter Delicta consummata, et attentata, vel inchoata fieri debet; quove propior Conatus ad Consummationem fuerit, eo gravior poena dictanda est. Sed id quoque diversum est: an Delicti Consummatio motu proprio, et spontaneo, vi externa, vel casu fortuito intermissa sit?

Neque Actiones alienae imputari poterunt, nisi in quantum Concursus ad easdem probabitur. Ac tunc etiam diversitas inter Socios, Complices, et Conscios observanda est.

Qui alterius opera ad delinquendum utitur, ejusdem in genere, ac Delinquens ipsemet poenae reum se efficit. Qui vero quacumque demum ratione alterum ad delinquendum pellexerit, de Delicto etiam respondebit. Quodsi plures perpetrandorum plurium Delictorum causa Societatem iniverint, de omnibus Delictis, a ratione concursus ad Delictum respondere obligantur.

Quia

Inquisitio et Processus Criminalis. Quia vero in omnibus Delictis veritas iisdem modis exquiri debet, media, quae in nullo Casu ad eruendam veritatem apta sunt, nec in Delictis atrocioribus; pro idoneis exquirendae veritatis mediis apta esse poterunt.

In reliquo, Legalis Processuum norma, ac requisita defensae Media, eo accuratius in Criminalibus observari debent, quo gravius Legum Criminalium objectnm est.

Sed et ipsa Sententiae Executio, ad partem officii Judicis pertinet, neque unquam licentiae Plebis concredi poterit.

Poenarum Requisita. Requisita autem poenarum sunt: ut poena quaelibet sit prompta, certa, et idonea. Sicque exemplum ad omnes, metus ad plurimos poena ad paucissimos extendatur.

Hunc in finem e Delinquentis, ac Delicti indole poena decerni debet. Adeoque praeter genium Populi, Formam Regiminis, modum cogitandi, atque educationis, ceterasque Civitatis, ac Civium circumstantias, Sexus, conditionis, aetatisque ratio habenda erit. Nec tamen umquam poenarum severitas commendari poterit. Qualiter majo-

ra

ra Delicta puniemus, ſi in minoribus quoque Delictis ſeveri nimium fuerimus? Jam olim recte obſervavit Saluſtius: *Crudelibus poenis Civitas vaſtatur magis, quam emendatur.* Prout nulla ſevera poena, ſi neceſſaria, ita ſevera quaelibet, ſi non ſit neceſſaria.

Poena Mortis. Ceterum, malum quodlibet, ipſaque mors pro poena dictari poterit, quodſi aliud defendendae Societatis Civilis medium non adfuerit. Si enim privato cuilibet, ad ſui conſervationem alterum licet occidere, cur id non liceat Civitati, ſive omnibus in Civilem Societatem coaleſcentibus?

Nec tamen alias poena mortis irrogari poterit, quam dum Civitas in ſtatu ſemet defendendi conſtituetur; adeoque nulla eidem ſervandae Securitatis ratio alia ſuperfuerit.

Deputationis Regnicolaris Principia. Haec, atque ex his deducta Legislationis Criminalis Principia, per Deputationem Juridicam a. 67. 1791. ordinatam in Codice de Delictis, et Poenis adoptata ſunt. Quin tamen omnia, quae per Leopoldum in Hetruria ſapientiſſime conſtituta fuerant, adoptari potuerint. Poſteris

for-

fortaſſe noſtris ea obtinget felicitas, ut ſemet ex integro hoc ad exemplar formare valeant.

Codex Leopoldinus. LEOPOLDUS etiam antequam Criminalem Codicem promulgaſſet, Civilium Legum emendatione, Cultura Morum, nova Tribunalium inſtitutione; atque opportunis Politiae adjumentis, viam quaſi Codici ſuo praeparavit.

Singulas videlicet Adminiſtrationis Criminalis partes experiri prius voluerat. Et poſteaquam uſu, atque experientia didiciſſet, in Civitate bene ordinata, poenarum certitudinem, promtamque Juſtitiæ Adminiſtrationem, ad minuendum Delictorum Numerum, longe plus conferre, quam poenarum ſeveritatem, et quaecunque tormenta, ac cruciatus; ipſas etiam Leges ſuas, omnemque Criminalem Codicem, humanitatis, manſvetudinisque nota potius diſtingvi voluit.

In Populi inquiebat Moribus excolendis, et ſolerti ad avertenda Delicta vigilantia, vera eſt Civitatis Adminiſtrorum gloria. Vires ſuas diſperdit, qui extremis id

viribus aggreditur, quod aliud quasi agendo, in effectum deducere poterat.

An poenarum severitas utilis? Haec quidem Sententia, multis veterum præsertim Jurisconsultorum displicebat. Quid enim improbitas Hominum non perrumpet, nisi Legibus, poenisque severissimis coërceatur? Quodsi subinde Legum severitas mitiganda videbitur, Jus illud in plerisque Civitatibus nondum perfecta Criminalis Justitiæ Administratione provisis Supremae Potestati attribui debuit. ut poenam mitigare, aut penitus etiam condonare valeat.

At vero, hoc ipsum est, quod vim Legum, metumque poenarum adimit. Nisi poena certa, quamcunque severa, erit semper inefficax. Spem hominibus natura indidit. Spe itaque lactatur improbus, se poenam omnem posse eludere.

Ipsa porro Legum severitas, cogit Principes Leges saepius infringere; easdemque suo pro arbitrio temperare. Hinc Legum neglectus invalescit. Ex hoc autem frequentia Delictorum suapte pululat.

Quid

Quid ſeverius Legibus Anglicis, quibus pro furto 13. Penſarum, ſive 36. Cruciferorum Delinquens patibulo affigi praecitur. Et tamen, ubi Gentium furta ſunt frequentiora? Pleni ſemper ſunt Carceres; e quibus velut totidem Seminariis, candidati ad Coloniam Botanibai, et patibula prodeunt.

E nimia etiam Legum Severitate neceſſario ſequitur: ut Delicta inaequalia, poenis aequalibus puniantur. Jam pridem Stoicorum Principium, Delicta æqualia ſtatuentium exploſum eſt. Recte Poëta Legislatorem monuit, *ut poenas irroget aequas; nec ſcutica dignum horribili ſectare flagello.* Quid aliud ex importuna hujusmodi Legum ſeveritate oritur, quam ut eandem averſemur? Quodſi etiam executioni eaedem mandari debeant, plerumque omnes Delinquenti commiſerentur, asperamque adeo Juſtitiae adminiſtrationem quilibet execratur.

Sed quidſi Delictum nimium atrox ſit? an non in arbitrio Judicis, vel Supremae Poteſtatis ſtare debeat, poenam etiam exasperare? A Lege recedere, Judici nunquam integrum eſt. Suprema Poteſtas pro

ratione diverſae Regiminis formae, novam potius caſu talismodi occurrente Legem pro futuro condat, quam praeviam transgrediatur.

Poenarum lenitas. Nec tamen nimia poenarum lenitas generatim commendari poteſt. Si praeſertim Populus, nondum eum culturae gradum attigit, ut privatae ſuae felicitatis nexum, cum ſecuritate publica pervideat; honorisque, ac virtutum ſtimulis neutiquam moveatur. Intempeſtiva enim talismodi Legum mansvetudo, quod animos addat Malevolis, numerumque Delictorum augeat, exemplis pluribus demonſtrari poſſet.

Promta Juſtitiae adminiſtratio. Prout vero poenarum efficaciam nil magis promovet, quam ſi eaedem promte, certoque Delinquentibus infligantur, ita vim ipſarum nihil magis enervat, quam tarda Juſtitiae Criminalis adminiſtratio. Injuria, ingensque tam Civitatis, quam Incuſati damnum eſt, diutius ſub cuſtodia detineri. Quis ſaepius innocenti Inquiſito, longa Inquiſitionum tormenta compensabit? Vel unius diei carcer ingens ſaepius tormentum eſt. An non etiam ſubinde graviſſimorum Criminum Rei,

occa-

occasione longioris morae effugium invenient, meritas poenas eludendi? Et tamen quamdiu in carceribus Captivi detinentur, antequam illos vel interroget aliquis: cur eorsum adducti sunt?

Recte observat Montesquieu, praecipuam non observantiæ Legum Causam esse, quod delicta tarde nimium puniantur. Atrocium quorumlibet Criminum facilis est oblivio; seriusque inflicta poena non aliud, quam commiserationem erga Delinquentem excitat.

Dummodo prompta Criminalis Justitiae Administratione, notionem Delicti, ac Poenae ita Legislator copulare noverit, ut alterum, sine altero nec quidem cogitari possit, poenis gravioribus vix unquam indigebit.

Publicitas. Horsum etiam pertinet: ut omnia, quae ad Processus Criminales pertinent, publice tractentur, ac poena quoque publice infligatur. Quidquid occultum, eo ipso suspectum est. Praecipuus poenarum scopus est exemplum. Ab hoc semper aberratur, quotiescunque occulte Delinquentes puniuntur. Diffidentia praeterea erga Judicium

ſuapte naſci debet, ſi palam munere ſuo defungi non audeat.

Sunt tamen aliqua, quorum publica punitio, bonis moribus periculum minitatur. Atque ideo, ne vel ipſa Delictorum Carnis adverſus naturam notione mentes, animique poenam ſpectantium contaminentur, hujusmodi Delicta LEOPOLDUS in occulto puniri voluit.

Cum porro duplex poenarum ſcopus ſit; non ſemper eſt neceſſe: ut exemplum ſtatuatur. Sufficiet ſubinde, ſi alter poenarum ſcopus, emendatio videlicet Delinquentis obtineatur. Quodſi per publicam punitionem, atque inurendam eo ipſo infamiam, de emendatione Delinquentis deſperatum ſit, privata autem caſtigatione ſpes emendationis affulgeat, conſultius futurum eſt, eundem in occulto caſtigare.

Generatim, quotiescunque e poenis publicis, plus mali, quam boni in Rempublicam redundabit, praeſtabit occulte ipſas irrogare, aut plane relaxare.

Politia. Quia vero ad avertenda Delicta, plus conferunt Civitatis circumſtantiis accommodae Politiae diſpoſitiones, quam

quae-

quaecunque poenarum promtitudo, et ſeveritas; in eo vim Publicae Adminiſtrationis ſuae poſuit LEOPOLDUS, ut quae ad bonum ordinem, ſervandamque ſecuritatem internam conſtituerat, eadem accurate obſervarentur.

Peculiaria Ipſius Politiae Inſtituta, peculiarem ſibi locum, in his etiam conſiderationibus vendicant. Nunc commemoraſſe ſufficiat: nihil LEOPOLDUM praetermiſiſſe, quod ita dictorum ſive negativorum, ſive Poſitivorum Mediorum Politia ſuppeditat.

Non ſolum igitur vigiles, intentosque ſemper habuit oculos, ut delinquendi occaſiones reſtringeret; ſed et Civium ſuorum animos ad verae virtutis, perfectionisque ſtudium. quam maxime opportunis ejusdem illecebris, momentisque graviſſimis excitabat.

Horsum Religionis inſtitutio, Juventutis Educatio, Scholarum, Theatrorum, ipſorumque Oblectamentorum publicorum adjumenta directa ſunt: ut Cives verae virtutis, decorique amore inflammati, ſua quaſi ſponte vitium, Delictaque averſarentur.

Inde factum eſt: ut regnante LEOPOLDO in Hetruria, annis ſingulis Numerus Delictorum, atque Delinquentium diminutus ſit. E Tabellis, ac Teſtimoniis exceptione omni majoribus luculentum eſt: anno 1766. fuiſſe in Hetruria Delinquentes 2398. anno 1784. ſolummodo 577. adeoque intra 18. annos, numerum iſtum 4 1/6 decreviſſe. Anno demum 1786. in omnibus Hetruriae carceribus univerſim 64 captivi numerabantur. Quodſi autem, ex hac ſerie ſubtrahantur, qui ad carceres jam Sententia Judicum damnati, et qui pro innocentibus poſtmodum declarati fuerant, numerus Delinquentium annuatim poſtremis Regiminis LEOPOLDINI annis ad 20. recidit.

Quodſi numerus Incolarum Hetruriae, ut minimum in uno Millione ſubſiſtens, atque Delinquentium multitudo, in pluribus Europae etiam cultioris Civitatibus expendatur, quam ingens apparebit diverſitas?

Nec tamen diverſitatem hanc mirabitur, qui vulgarem educationis inferioris praeſertim Claſſis Civium rationem, Religionis inſtitutionem, non tam cultura morum, quam cultu ſaltem externo, aut incompre-

hensi-

henſibilium perſcrutatione ſemet occupantem, neglectum Politiae, ac neceſſarii in Civitate qualibet ordinis, obſtructas induſtriae, et vitae honeſte ſuſtinendae vias, luxum ad neceſſariorum quoque indigam plebem propagatum, ſuperbiam ditiorum, contemptum, atque oppreſſionem pauperiorum, ignorantiam, odium, atque invidiam, ſtudiose quaſi inter ejusdem Civitatis Cives ſufflammatam, arbitrariam denique Juſtitiae Adminiſtrationem, cum Leopoldi Inſtitutis contenderit.

Æſtimatio Populi. Culturam Populi Florentini, id etiam non mediocriter promovebat, quod Leopoldus Se eundem ſincere amare, atque aeſtimare pluribus argumentis teſtatus ſit. Jam cum initio Regiminis ſui Se Populum iſtum, vicinis magis cultum majorisque culturae idoneum reperiſſe, palam profitebatur.

Se a Principe ſuo amari, aeſtimarique videns Populus, ſeipsum etiam aeſtimare coepit. Hocque honoris, atque exiſtimationis propriae ſtimulo effectum eſt: ut conceptae de ſe opinioni reſpondere omnimode allaboraverit.

Quodſi aliquis Delicti cujuspiam atrocioris publice inſimulatus fuerat, vulgo etiam dicebatur: neutiquam Florentinum, ſed Exterum debere eſſe delinquentem. Et reipsa, Exteros fuiſſe plerosque experientia docuit.

Captura. Hanc Populi ſui aeſtimationem, eo etiam teſtatus eſt LEOPOLDUS, quod de Crimine etiam aliquo incuſatos, omni cum circumſpectione, et absque ulla honoris, aut Perſonae ipſorum laeſione tractari voluerit. Quidſi enim, inquiebat, non graviter deliquit, aut plane innocens compertus fuerit?

Capturam certe, ſive interceptionem quamlibet complura comitantur incommoda. Cum enim ſoli etiam interceptioni infamia tacite adhaereat, ab arbitrio Magiſtratus cujuslibet pendere nequit, Civium aliquem comprehendi facere. Sed limites indicia caſusque, in quibus interceptio locum habet, per legislatorem determinari debent.

Scopus interceptionis, alter eſſe nequit, quam Securitas de Persona Delinquentis. Haec ſi aliter procurari poterit, adeoque ſufficiens, ſeu in ejusdem facultatibus, ſeu pro eodem caventibus adſit ſecuritas, ratio

ſane

ſane non ſupereſt, cur idem intercipi debeat. Quin LEOPOLDUS interceptum etiam dimitti juſſit, ut primum ſufficientem de ſe cautionem præſtare potuit.

Nobilium Praerogativa. Quae per Leges in Hungaria Nobilibus attribuitur praerogativa, ut nemo niſi legitime citatus, ordineque Judiciario convictus detineatur, omnibus rite ordinatae Civitatis Civibus, extra casus in Lege ſpeciatim exprimendos, communis eſſe debet.

Sed ſi etiam interceptio cujuspiam e Legis, vel Magiſtratus publici diſpoſitione effectui mancipari debeat, eadem absque honoris, et Personae Delinquentis laeſione peragenda eſt. Injuria eſt, quidquid idem ante Sententiam patitur.

At vero, quidſi Delinquens profugiat, aut citatus ad Judicium non compareat? Prout in Hetruria ſub LEOPOLDO, ita etiam alibi, bonus in Civitate ordo id efficiet, ne profugiat. Sed ſi etiam profugerit, ubi Civitas rite ordinata eſt, reduci poteſt. Et alioquin in Delictis pluribus, ipſum profugium ſufficiens poena eſt. Quamprimum aliquis Judicium ſubterfugit, eo ipſo ſuſpectus

eſt. Autoritate, igitur publica cogi poteſt. Nec tamen humanitas Leopoldi illud Juris axioma, quod contra contumacem omnia Jura clament, ad eos, qui profugiunt, extenſum voluit. Saepe enim timor, pudor, & mille alia obſtacula infelicem retinere poſſunt. Tantumdem, & ſaepe plus longe damni eſt Civitati, ſi innocens condemnetur, quantum ſi nocens abſolvatur. Publica ergo autoritate defendi debet, qui semet defendere vel non vult, vel non poteſt. Et tum demum convinci poterit, ubi Delictum ejusdem plene conſtiterit. Quodſi tamen intra praefigendum per Legem terminum, Profugus non compareat, ex ejusdem Facultatibus, damnum paſſo ſatisfactio impendetur.

Carceres. Ex eodem humanitatis principio, quod neque Delinquens Homo eſſe deſinat; & carcer ante condemnationem cuſtodia, non autem poena eſſe debeat, eos etiam, qui intercepti fuerant, humaniter haberi voluit Leopoldus.

Hunc in finem, diſtincti erant carceres pro illis, qui adhuc ſub Inquiſitione conſtituebantur, & qui ad carceres per Sententiam

tiam Judicis condemnati fuerant. Hoc, Sententiæ accommodum, illud vero squallore omni immune fuit. Neque Captivi unquam valetudinis detrimento, aut ulli alteri malo erant expoſiti, quam quod ad Perſonam ipſorum ſub cuſtodia tenendam, neceſſario requirebatur.

Ipſemet Princeps carceres ſubinde inviſebat, atque accuratas ab illis, qui Juſtitiæ adminiſtrationi praeerant, rationes exigebat: an rite omnia obſerventur, quae idem ad allevamentum ſub Cuſtodia detentorum præſcripſerat. Utinam haec Ejusdem Inſtituta, ſaxeis plerorumque Carceribus Præfectorum cordibus inſcribi poſsent!

Atque hinc, imperante in Hetruria Leopoldo, vere per illos, qui Carceres Florentinos perluſtrabant, dicebatur: ex iisdem ſolam libertatem, non autem juſtitiam, atque humanitatem excluſam eſſe.

Inquiſitio. Quo gravius porro Legum Criminalium objectum eſt, eo attentius curabat Leopoldus: ut non ſolum contra Incusatum, ſed et Incuſato ſuppeditentur omnia, quibus innocentiam ſuam probare poſſit. Vulgaris agendi modus cum illis,

qui

qui ſub Inquiſitione conſtituuntur, quemlibet certe, qui aliquem humanitatis senſum habet, debet percellere.

Ut primum aliquis ad Carceres inducitur, eo ipſo omnibus quaſi humanitatis Juribus exutus eſt. Eo ipſo non amplius ut Concivis, ſed hoſtis publicus conſideratur. Ad ejusdem perniciem univerſa fere Poteſtas atque Authoritas Judiciaria conſpirare videtur. Minae, Contumeliae, Quæſtiones captioſae, & quidquid denique artium Inquiſitores excogitare poſsunt, ad proſternendum infelicem admovetur. Quid mirum, ſi tot machinis oppugnata, succumbat saepius innocentia?

Leopoldus igitur Minas, Contumelias, et qualemcunque vim, & Laeſionem tanquam legali inquirendi rationi inimicam, e Judiciis penitus abeſſe, atque etiam funeſta illa torturalia examina in perpetuum proſcribi juſſit.

Tortura. Jam olim dicebat Cicero: *Tormenta haec moderatur dolor, gubernat natura cujusque, tam corporis, quam animi; regit Quaeſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus: ut in tot rerum anguſtiis, nihil loci veritati relinquatur. Item conſvetudo*

labo-

laborum, perpessionem dolorum faciliorem efficit; laborque quasi callum dolorem obtegit. Mentietur igitur recte conclusit Grotius, *qui Cruciatus ferre poterit, mentietur, qui ferre non poterit.*

Et tamen, quot ignorantiæ, aut obliteratae veritatis istius victimae ceciderunt? LEOPOLDUS haec etiam veteris Barbariei monumenta diruit. Qualiter inquiebat, Incusatus punietur, antequam convictus sit? Omnis Torturae patientia ab animi, corporisque fibrarum dependet duritie, eandemque quam vetus ignis, & aquae examen barbariem redolet. Quis de periculo cavere audebit, ne debilis innocens condemnetur, Reus autem obduratus absolvatur?

Lex igitur Ejusdem autoritate in Hungaria etiam a. 42. 1791. lata est: *ut Torturalia Examina ex eo, quod idoneum, et congruum eruendæ veritatis medium haud constituant, quin poenam potius sapiant, ad usque etiam, donec circa Praxim Criminalem, aliud quid statutum fuerit, simpliciter interdicta sint.*

Lamentantur quidem aliqui, sublata Tortura, vix aliquod eruendae veritatis Medium

dium supereſſe. Impunita manebunt Crimina; atque Securitas publica frequentius vapulabit. Qui habet Jus ad Finem, habet etiam ad Media. Jam vero saepe non eſt aliud vertatis eruendæ Medium. Sed et non raro accidit: ut certum sit complices habere Delinquentem, nec tamen velit illos revelare. Quid? quod secus etiam Civitatis interſit, quaepiam Delinquenti certo cognita, ad Magiſtratus notitiam pertingere? Si Delinquens talia pertinaciter reticeat, noviter delinquit. Tortura igitur inſtar poenae dictari poterit, eſtque eotum neceſſarium avertendi a Civitati majoris mali adjumentum.

Verum, in omnibus hujusmodi Caſibus, media juſta, ſcopoque conformia adhiberi debent. De Tortura autem affirmari haud poteſt, eſſe eandem juſtum, atque opportunum ad collocandam in luce veritatem medium. Si praeſertim vitae etiam taedium; quod equleo tortis facile oboriri poteſt, in conſiderationem veniat.

Nullane Crimina impunita erunt, ſi Tortura Civitate donata fuerit? An non præſtat Crimina quaepiam impunita relinqui;

quam

quam innocentiam discrimini manifestò objici? Præstat, ajebant veteres: *mille nocentes absolvere, quam unum innocentem condemnare.* Hunc enim nemo amplius indemnem reddet; illi autem se emendare, uti esque adhuc Reipublicae Cives esse poterunt.

Si Tortura instar poenae consideretur, eadem omnia circa illam, quæ circa poenas alias observanda sunt. Poena, cujuslibet singillatim Delicti quantitati, & qualitati admetienda est. Qualiter Norma hæc in Tortura determinabitur? Lex illam determinare nequit. Ab arbitrio igitur Judicis dependebit.

Sed neque malum certum, ad avertendum incertum malum accersiri unquam potest. Tortura manet semper incertum, atrox, & indignum humanitate medium. Quæ Fides illi tribuetur, qui jam equleo subjectus, adeoque Juris infamia notatus est? Metu, & tormentis extorta fassio, qualiter coram Judicio fidem merebitur? Si privatim etiam metu quidpiam extorqueretur, id per Judicia rescindendum, proque infecto reputandum esset.

Quodſi demum delinquentis pertinacia animadverſionem peculiarem mereatur, idipsum pro aggravante Delicti circumſtantia haberi, adeoque poena ejusdem per Sententiam Judicis intendi poteſt; quin tamen propterea Torturae ſubjici debeat. Caeterum

Sententia. Inquiſitionem ſequitur plerumque Sententia. Antequam tamen eadem ferri poſſit, complura Judicibus e praeſcripto Leopoldi ſervanda fuerant.

Pars Anterior Criminalis Ejusdem Codicis, eo unice dirigitur, ut viam quaſi commonſtret Judici, qua rectam in cauſis Criminalibus Sententiam detegat.

Per Judiciarias certe Sententias, Civilis Libertas, veraque Actionum Securitas, non raro laeditur. Quæ enim gravior eſſe poteſt Læſio, quamſi innocens Delicti cujuspiam convincatur? Respicit id, ita dictam quæſtionem Facti. Ad quam in debita luce collocandam, nulla Inquirentium diligentia, nulla normæ Proceſſuum ſcrupuloſa obſervantia, ſuperflua cenſeri poteſt.

Præprimis, probationum vis, atque robur, Legibus in anteceſſum determinari debet. Neque a Judicis Arbitrio pendere poterit;

fit: quando quis pro Convicto habendus sit; five quando nulla fubfit de commiffo per Incufatum Delicto dubicandi ratio.

Quod vero quaeftionem Juris in Sententiis adtinet; in hac etiam Incufatus lædi poteft, fi Delinquens poenæ Delicto minus conformi five non fatis proportionatæ fubjiciatur.

Non Judex poenam, fed lex determinare debet. Si poena fit Delicto gravior, injuria fit Delinquenti, fi levior, Civitati. Neque enim eadem fufficiet ad alios a Delicto deterrendos; fed neque Delinquens emendabitur. Adeoque Securitati Civitatis pro futuro, non fatis confuletur.

Nifi autem Delictorum quantitas, & Qualitas, imputationis Regulæ, atque ex his deductæ poenæ, Legibus in anteceffum determinentur, Actionum Libertas, omnisque Civilis Securitas a Judicis Arbitrio dependebit.

Accufatio. Præmiffis illis, quæ generatim ad præcipuas omnium Proceffunm Criminalum partes pertinent; ea adhuc commemoranda funt, quæ fpeciatim Præfidio innocentiæ Leopoldus conftituit.

Hæc inter præprimis occurrit Accuſatio, quam vel Pars læſa, vel accuſator publicus promovebat. Priusquam Incuſati interceptio decernatur, querela per illum, qui Crimen denunciabat, ſine illo ſubscribi debuit, ut de indemnitate falſo incuſati prospici poſſit.

Quam egregium iſtud adverſus calumniatores innocentiæ Munimentum? Nomen præterea Accuſantis, Incusato detegi debuit; et ſi dolo accuſaſſe deprehendebatur, publica adverſum Accuſatorem actio locum habuit.

Accuſatori publico in illis ſolum Delictis actio competebat, quae publicam ſecuritatem qualitercunque afficiebant: Laeſiones privatas, quemadmodum pars laeſa Judicio proponere, ita etiam condonare potuit. Id ſolummodo conſtitutum fuerat, ut tales etiam, quibus laeſiones hujusmodi condonabantur, ſupremo Politico Magiſtratui detegantur; iisdemque velut ſuspectis, notatisque hominibus peculiariter invigiletur.

Et neque violentiae publicae, Perſonarum Nobilium, caeterorumque honeſtae conditionis Civium verberationes, dehoneſtatio-

ſtationes, depoſitorum abnegationes, literarum alienarum detentiones, violationes, hisque ſimiles publicae etiam ſecuritati injurioſi actus, privatae Actioni Civili, ex mente Legislationis LEOPOLDINAE, relinqui poterant.

Atque vel ex his patet: quam inique aliqui adverſus occultas in Statu Florentino denunciationes querulati fuerint. Mos certe bonorum Principum nunquam erat, ad domeſtica Civium negotia ſe miscere, iisdemque quaſi inſidias ſtruere; interim ſecuritatis intereſt: Rectorem Civitatis aures praebere pluribus. Sed quid inde in Cives redundat incommodi, ſi nemo Actione conveniri poſſit, niſi et Accusatorem ſuum noscat, et omnes adverſus eundem exceptiones opponere libere valeat?

Juramenta. Quod Juramentorum Sanctimonia, ſaepius Civitas indigeat, et praeſertim innocentiae purgatio, quod ab hac frequenter dependeat, extra quaeſtionem eſt. Ea propter innumera prope Juramentorum nomina excogitata ſunt. Quam facilis interim abuſus horum fuerit, ex ipſa eorundem frequentia aeſtimare licet.

Sapiens igitur, dignumque imitatione institutum est: ut nemo jurare audeat, nisi et necessitas, et formula Juramenti, et Jurantium habilitas, inter partes prius agitata, Judicisque sententia determinata fuerit.

Omnis certe Juramenti Religio debet evilescere, si obvius quisque jurare, ac me etiam extra Judicium ad jurandum cogere possit.

Leopoldus neque in Judiciis Juramento purgatorio locum esse statuit. Quam arduum Juri naturae conservationem propriam praecipienti, non obsequi? Quotus quisque ille est, qui perjurii periculum non subeat, dum de vita, fortunisque propriis agitur?

Neque Testes ad Juramenti depositionem alias admittebantur, quam si incusatus elicitas adversum se fassiones, Juramento confirmare voluisset.

Ceterum, solennia, sive ceremoniae Juramenti, uti etiam graviores perjurio constitutae poenae, Administrationi publicae adjumento esse debent, ne impendens a Juramentorum consvetudine periculum, in Religione posita praecipua Civitatis fundamen-

ta

ta labefactet; atque ita tam publicam, quam privatam Civium securitatem sensim subruat.

Defensio Incusati. Nec satis erat LEOPOLDO, omnia illa removere, quibus veritas, atque innocentia consvevit passim opprimi; proprium etiam, quem incusatus volebat, cuilibet defensorem adesse voluit. Qui autem peculiarem sibi Advocatum deligere non valebant, aut non poterant, Judex Advocatum ipsis ex officio constituere obligabatur.

Liberum erat incusato non solum cum Advocato, sed etiam cum Testibus, pro, et contra se statutis, in carceribus quoque coram Persona Magistratuali constitui, exceptiones obmovere, omnia denique defensionis suae adminicula procurare.

Quam ingens inter hanc, et plerarumque Civitatum Justitiae Administrationem, discrimen intercedit? Gaudebat LEOPOLDUS, si incusatus pro innocente declarari potuit. Quam multi autem Judicum stomachantur, si incusatus se velit defendere, neque praeconcepto eundem crimine possint involvere.

Probationes Privilegiatae. Hac etiam de causa usum probationum privilegiatarum in Processibus Criminalibus Leopoldus prohibuit. Falsa de Justitiae vindicativae indole notio, indeque prognatum vindictae saepius intempestivae studium, vim probationibus hujusmodi tribuerat. Quasi vero manifeste absurdum haud esset: ut ea ad probationem gravissimorum Delictorum sufficiant, quae in Delictis minoribus nequaquam sufficere censebantur.

Fassiones igitur Parentum, Filiorum, Conjugum, Cognatorum, ac aliorum Legibus speciatim designandorum, in Processibus Criminalibus attendi, et neque aliorum exceptionibus obnoxiorum Testimonia, ad vim vel semiplenae Probationis elevari poterunt.

Nulla porro sunt indicia, sive cum Delicto, sive cum Incusato necessario connexa. Et ideo gravissima quoque praesumptio, falsa esse poterit. Qualiter igitur luce meridiana clarior, inque Criminali Processu necessaria veritas, e praesumptionibus, atque indiciis deducetur? Funesta certe tot innocentum, per indicia condemnatorum

exem-

exempla, usum eorundem formidabilem reddunt.

Sed neque in minoribus, five ita dictis Delictis Politicis admifit LEOPOLDUS: ut aliquis Civium fuorum, absque eo, quin excusatio ejusdem discutiatur, five intercipi, five poena quacunque affici poffit.

Indemnitas Quodfi tamen aliquis inimicorum malevolentia, aut fatali quapiam temporis, rerumque ferie, Inquifitione Criminali implicitus, innocentiam fuam comprobaffet, de ejusdem quoque indemnitate aequanimitas LEOPOLDI providerat.

Quidquid a Mulctis Pecuniariis, et Sportulis Judiciariis dependi debuerat, id omne feparatim adminiftrabatur, ac peculiare indemnitatum hujusmodi Aerarium conftituebat. Nihil ex hoc ad privatam Principis, aut Ejusdem Miniftrorum, vel Judicum utilitatem dimanabat.

Generale videlicet LEOPOLDI Principium fuerat: ibi folum coecam effe juftitiam, ubi nullo lucri fulgore Ejusdem Adminiftri perftringuntur.

Pecuniam hujusmodi conferebant, qui fecuritatem Civitatis, qualitercunque laefe-

 rant;

rant; aequum igitur censebatur: ut suam ex his indemnitatem illi obtineant, qui qualitercunque a' Civitate, sive publica Justitiae Administratione laesi fuerant.

Qualis est Civitatis Obligatio, Delicta antevertere, inquirere, et punire, talis fuerat ex mente LEOPOLDI per haec ipsa Civitatis munia damnum passis, ex integro satisfacere.

Si Civis Privatus, damnum, injuriamve quamlibet refundere obligatur, qualiter suprema Potestas, et Jurisdictio publica, quae exemplum aliis praebere debet, a munere isto excusabitur? Errare humanum est. Optime etiam constituta Justitiae Administratio, innocuo subinde nocere poterit. Sed errorem non confiteri superbum, illatam autem injuriam, non resarcire, injustum esset.

Et tamen in compluribus adhuc Civitatibus, ab iis etiam, qui pro innocentibus Sententia Judicum declarantur, expensae intertentionis in carceribus exiguntur. Tacita adhaeret ipsis infamia, ac saepius a communibus Civium reliquorum beneficiis excluduntur.

Recte

Recta certe Justitiae Administratio id postulat: ut quemadmodum Delinquens poenam, ita innocens indemnitatem obtineat. Et quidem ut eadem ex Aerario publico procuretur, quotiescunque ab illis, qui Inquisitionis Autores fuerant, exigenda non censebitur.

Aggratiatio. Atque ita ordinata Justitiae Administratione, Locus gratiae in causis criminalibus sub LEOPOLDO nuspiam erat. Cur enim gratia ibi locum habeat, ubi per rite institutam Processuum normam, et tuta est innocentia, et per conformes Delictis poenas, nulla Delinquentibus fit injuria. Securitati potius Civili injuriosum foret, si sub spe impunitatis, obtinendaeque gratiae, Malevoli ad delinquendum animarentur.

Crimen laesae Majestatis. Eo etiam humanitati, Civiumque suorum securitati consuluit LEOPOLDUS, quod singularium Delictorum, poenarumque indolem determinaverit. Sic in specie, de Crimine laesae Majestatis, in ejusdem codice dicitur: *Nomen criminis istius late nimium extensum, atque Actionibus alterius plane indolis, et subinde indifferentibus attributum exstitisse.*

Quo

Quo magis abominabile, execrandumque Crimen, hoc eſt, ſi in perniciem Civitatis, aut eandem repraeſentantis Supremae Poteſtatis dirigatur, eo majori commiſeratione digna eſt Civitas, in qua vera Criminis iſtius notio Legibus definita non eſt, ſed pendet ab arbitrio Judicum, atque Accuſatorum.

Ut igitur periculis, e Legum de Crimine laeſae Majeſtatis latarum abusu promanantibus, occurreret LEOPOLDUS, in Hetruria ipsum Criminis iſtius nomen, e ſerie Delictorum expungi juſſit.

In Hungaria vero tam modum procedendi cum illis, qui hoc de Crimine incuſabantur, quam etiam veterem, quoad Delictum hoc poenae Severitatem, temperatam voluit. Ejusdem D. a. 54. ſtatutum eſt: ut *Crimen laeſae Majeſtatis, et Notae Infidelitatis ab Ordinariis Regni Judiciis non avocetur, ſed per Tabulam Regiam ſalva legali Appellata judicetur, ac in ipso etiam laesae Majeſtatis Crimine, amiſsio Bonorum tantum ad Portionem Delinquentis reſtringatur.* De Norma quidem procedendi cum incusatis expreſſa non ſit hac Lege mentio.

Cum

Cum tamen ſtatuatur: ut Crimen iſtud a Judiciis ordinariis non avocetur, ſuapte videtur intelligi, hujus quoque normam eandem, ac reliquorum Proceſſuum Criminalium eſſe debere.

Objici ad iſta poteſt: quietum obtigisſe LEOPOLDO Imperium, neque Eundem pericula, atque atrocitatem Criminis iſtius experientia didiciſſe. Conſtat interim pluribus Ipſum cum difficultatibus, ob ingentem praeſertim initio Regiminis, rerum victui neceſſariarum penuriam, fuiſſe conflictatum. Anno 1766. Tumultus 22. anno 1775. 30. anno 1776. 12. in Statu Florentino excitati fuerant. Sed ſapientia LEOPOLDI hos compescere, atque tumultus, ſeditiones, hisque ſimilia a Crimine laesae Majeſtatis, quod directe Supremae Poteſtatis, Statusque Civitatis incolumitatem aggreditur, diſtingvere noverat. Sibi autem recte-factorum probe conſcius LEOPOLDUS, neque metuere poterat.

Quoad verba autem, ſcriptaque contumeliosa, vulgo Pasquillos, illam Arcadii Legem exemplo ſuo renovaverat LEOPOLDUS: *Siquis modeſtiae neſcius petulanti Male-*

dicto

dicto Nomina nostra crediderint lacessenda, eum poenae nolumus subjugari. Si enim id ex levitate processerit, contemnendum, si ab injuria, remittendum, si ex insania, miseratione dignissimum.

Temporis tamen, locorumque adjuncta esse possunt, ut similia severam Animadversionem exigant. Sed eorum etiam, ad Delicti quantitatem, et qualitatem, Legesque imputationis adverti, neque similia ad laesae Majestatis Crimen pertrahi possunt.

Confiscatio Bonorum.

In quibusdam aliis etiam Delictis, sed potissimum in laesae Majestatis Crimine, fere ubiquae Gentium, jactura, sive Confiscatio Bonorum poenae instar dictari consveverat. Leopoldus poenam hanc injustam, indignamque supremae Potestatis dignitate existimavit. Cur enim innocentes Delinquentis Proles, aut familia integra puniatur? Cur semet Administratio Publica suspectam reddat, quasi optaret Crimina, quibus Fiscum Ejusdemque Administros locupletet?

In recentius promulgato Codice Borussico Criminis laesae Majestatis Reorum Proles, Bonis, ceterisque Civilibus Juribus exu-

untur; huicque Legis Severitati ratio illa ſubjungitur: quod Civitatis interſit, pro futuro etiam providere, ne a Prolibus talismodi Delinquentium, Respublica detrimentum patiatur. Media igitur adimi ipſis debent, ne etiamſi velint, vindictam meditari poſſint.

Egregia enimvero Civitatis Securitas, quae ruina aliquot Civium, atque innocentis Familiae conſtabiliri debet! An non plus ſemper ab iis, qui omnibus exuuntur, metuendum ſupereſt? An omnes Amici etiam, et qui ipſorum miſerentur, exterminandi ſunt? Si a Prolibus Condemnatorum metuitur, cur non e Civitate abire jubentur? Cur Mendici prius, adeoque commiſeratione aliorum digni fieri debent, antequam abeant?

Sed ſi etiam Bonorum amiſſio, ad Portionem ſolum Delinquentis reſtringatur, Proles, atque innocentes Cognati, Jure ſucceſſionis ad hanc quoque proviſi, ſpoliantur.

Peſſimum certe, Bonis alienis inhiantium Delatorum genus, introducta Bonorum confiſcatione, jam olim nimium Romae invaluerat. Et ideo apud eos, qui Criminis iſtius incuſati fuerant, Sententiam morte voluntaria

ria antevertere, in consvetudinem prope abi-verat. Ut videlicet Haereditatem ita poſteris ſuis conſervarent, cum ob cupiditatem Delatorum, de vita ſervanda alioquin deſperare debuerint. Utinam exempla hujusmodi, aliarum quoque Gentium Hiſtoriae non ſuggererent!

Dicunt aliqui, poenam haud opportune dictari poſſe, ſi Cives noſtri emigrare velint. Populatio enim Felicitatis Civilis fundamentum eſt. Hanc labefactat, qui a nobis ad Exteros proficiſcitur. Aequum eſt igitur, ut fortunas, quas in Civitate noſtra acquiſiverat, apud nos relinquat, poſteaquam Civili Societati noſtrae renunciat.

Sed quo Jure aliquis in Civitate bene ordinata retineri poteſt? Quae illa Libertas Civilis, ſi in Civitate, velut in ergaſtulo contineri debeam? Non poenis, ſed beneficiis Cives retinendi ſunt. Indicio eſt, haud recte Civitatem adminiſtrari, ſi eadem ad poenas recurrere debeat, ne Civibus deſtituatur.

Mulctae Pecuniariae. Sunt quidem Delicta quaepiam, adverſus quae, Mulctae Pecuniariae inſtar poenae dictari poſſunt. Talia e Legislationis Criminalis Principiis re-

pu-

putantur illa potissimum, quae ex Avaritia proficiscuntur.

Verum, ut Mulctae hujusmodi efficaces sint, Lucrum, quod e Delicto speratur, notabiliter superare debent. Cum enim detectio incerta, repetitum autem e Delicto lucrum certum, nisi Mulctae intensio Delinquentem detinuerit, actus Ejusdem similis erit lusui, in quo parum periculo perdendi exponitur, et tamen insigne e lucro emolumentum obtinetur.

Sed neque Mulctae Pecuniariae, apud aequalis etiam Delicti Reos, aequales esse possunt. Verum Delinquentis singuli facultates, in considerationem semper venire debent. Si enim Mulcta generatim certa sit, pauper illam solvere vix unquam poterit, mediocribus provisus facultatibus, ejusdem depensione enervabitur, opulentus vero parum eandem sentiet, ac quasi taxam Delicti considerabit. Et non raro ad delinquendum ipsa depensionis Mulctae facilitate excitabitur. Atque ideo, absque poenae alterius adjumento, vix unquam Mulctarum usus haberi poterit.

Poenae Corporales. Quia vero dolor, et voluptas, praecipuae omnium fere actionum humanarum caufae funt, poenae corporales, quae videlicet dolorem, moleftiamque Hominibus adferunt, in plerisque Delictis opportunius adhibentur.

Horfum autem referuntur, non folum verbera, fed et Carceres pro diverfitate Delictorum, diverfimode adaptati, jejunia, afflictationes pro Morum, atque Locorum varietate variae, labores publici, hisque fimilia.

Labores Publici. Speciatim quoad labores publicos notandum occurrit: quod poena haec prae aliis omnibus fcopo poenarum conveniat. Praeterquam enim, quod Delicta plurima, ex otio, fugaque laboris proveniant, atque e rite ordinatis ad poenam damnatorum laboribus, infignis in Rempublicam redundare queat utilitas; aequitas exigit: ut damna per Delinquentes illata, in quantum fieri poteft, compenfentur.

Civitas quaelibet amplum hujusmodi laboribus campum fuppeditare poteft. Jam olim apud veteres Aegyptios, ac Sinenfes, poena haec egregio cum fucceffu in ufum de-

ducta

ducta fuerat. Aetate noſtra cultiores Nationes poenam hanc adoptarunt. LEOPOLDUS II. in Hetruria ipſi etiam poenae mortis eandem ſubſtituerat. FRIDERICUS II. Rex Boruſſiae, dicere ſolitus erat: Cum Fur laborare nolit, laborare debet.

Verum quidem eſt: poenas ad aliorum, vel maxime exemplum debere dirigi. Neque ſufficiens laboribus talismodi exemplum vulgo praeberi, objiciunt aliqui. Dummodo interim labores hi rite inſtituantur, ac poenae, tam certitudo, quam gravitas oculis intuentium obverſetur, etiamſi non omnibus, multis tamen exemplo erunt.

Poena quaelibet, fere tamdiu ſolum impreſſionem facit, donec durat. Prout in Phyſicis, ita et Moralibus, plerumque praeſentia nos afficiunt. Diſtantia objectum minuit. Spes impunitatis, graviſſimas quascumque poenas, ex oculis improborum removet.

Neque illud tanti eſt, quod labores hujusmodi, multis expenſis juncti ſint; atque ad labores condemnati ſaepius profugiant, novisque Civitatem calamitatibus involvant. Rite enim ordinata Politia, atque oecono-

mia publica, et securitati sufficienter prospicere, et resusionem sumptuum, ex ipsis ad labores damnatorum operis procurare poterit. Nec sumptus exaucti dici possunt, quos publica deposcit utilitas.

Poenae Extraordinariae. Peculiaris etiam in quibusdam Civitatibus poena est jactura Civilium Praerogativarum. Uti etiam Denegatio Tutelae, sive Protectionis publicae. Illa locum habet, si quis Praerogativis Civilibus abutatur. Haec autem, si quis Statutis, Felicitatem communem respicientibus, se opponat.

Ubi Praerogativae hujusmodi in usu sunt, harum amissio reipsa malum, adeoque poena subinde efficax esse potest.

Sed et in Casibus extraordinariis, Civitas tutelam publicam denegare, adeoque negativa hujusmodi poena uti poterit, dum poenas positivas, ob peculiaria rerum adjuncta, adhibere prohibebitur.

Sic Legati Exterorum, si Legibus ad rectum ordinem, et securitatem Civitatis, in qua commorantur, tendentibus, se non conforment, opportune in Casibus similibus, Legum earundem Protectio ipsis denegabitur.

Ita

Ita Edvardus II. in Anglia, dum quidam immunitates ſuas obtenderent, atque Tributa publica dependere abnuerent, eosdem tutela publica deſtitutos eſſe declaravit. Quamquam poenae talismodi nunquam periculo careant, ne fores licentiae plebis aperiantur.

Infamia. Poenis extraordinariis annumeratur etiam Infamia. Cum interim, praecipuo poenarum ſcopo, emendationi videlicet Delinquentis, poena haec adverſetur, uſus ejusdem rariſſime fieri poteſt.

Quodſi infamia alteri cuipiam poenae, uti olim ſtigmatibus, aut mutilationi adjiciatur, praeterquam quod Delinquens dupplicitur puniatur, ſemet etiam emendandi impedimentum ipſi ponitur.

In Delictis ex ambitione profluentibus, uti Duellis, aliisve hujusmodi, opportune quidem adhibetur. Sed perpetua poena haec nusquam eſſe poterit. Qui enim honore, idem praecipuo recte agendi momento ſpoliatur.

Eo potius Adminiſtrationi publicae enitendum eſt: ut timor poenae hujus, ab attentandis ejusmodi auſibus Cives retineat,

neque ſententia Judicis, alioquin vix unquam executioni mancipanda, ferri debeat.

Degradatio. Apud quos honor, et ambitio, praecipua Actionum eſt ratio, Degradationi etiam locus eſt. Poenas enim oportet eſſe Actionum motivis, quam maxime contrarias.

Eſt autem Degradatio infamiae ſpecies, qua Delinquens gradu, atque exiſtimatione, quam in Societate Civili obtinet, minuitur.

Apud veteres Romanos, gregarii etiam Milites, gradu moveri conſveverant. Hodiedum uſus poenae iſtius obtinet apud Milites, atque Eccleſiaſticos.

Dummodo poena haec non ſit perpetua, multo minus ad Poſteros transeat, apud alias etiam Civium claſſes, praeſertim in Muniis publicis, et conditione eminentiore conſtitutos, uſus ejusdem ſubinde commendari poterit.

Exilium. Nunquam autem Exilium poenae inſtar ſvadebit, qui Populationis pretium, ſcopumque poenarum omnium rite expenderit.

Quae enim eſt Contradictio, exteros oblatis etiam emolumentis ad nos allicere,

Cives

Cives autem noſtros e Civate pellere? Jus emigrandi in quaeſtionem vocare, et ad emigrandum cogere?

Quae ſpes emendationis eſſe poterit, ſi Delinquens expellatur, ſuoque plene arbitrio relictus ſit? Sed ſi etiam emendatus fuerit, omnis emendationis ejusdem utilitas, non in expellentem, ſed recipientem Civitatem redundabit.

Quod porro Jus Civati Delinquentes alio expellendi? An non Jus idem aliae quoque Civitates in noſtram uſurpare poterunt?

Si quis poena exilii afficiatur, et nullas facultates habeat, alioquin nihil amittit. Scenam ſolummodo ſcelerum mutat. Mutatio hujusmodi, eidem tanquam ignoto favebit potius. Si facultates habeat, easque poſſit ſecum accipere, nihil ille, ſed Civitas perdit. Qui enim facultatibus proviſus eſt, ubique commode vivet. Quodſi vero facultates ſuas cogatur relinquere, malum quod ſentit, non ab exilio, ſed facultatum amiſſione repetendum eſt.

Atque his ex rationibus Leopoldus poenam exilii, non niſi quoad exteros, clam Civitatem ſubintrantes decerni voluit; inque

ejusdem locum, dum etiam Delinquentis e loco Delicti amotio neceſſaria videbatur, Relegationem, Deportationem, aut Confiniationem ſubſtituit.

Poena Mortis. De cultura, mitique indole Nationis, quam in Hetruria regebat, persvaſus LEOPOLDUS, mortis quoque poenam e Criminali ſuo Codice exmitti juſſit. Neque enim extremum hoc defendendae ſalutis publicae medium, apud Populum probe cultum, Legibusque obſequentem neceſſarium eſſe, ſed in graviſſimis quibusve Delictis, ſubſtitutas eidem carcerum, laborumque publicorum poenas, tam ad emendationem, quam ad exemplum ſufficere arbitrabatur.

An aliquando dictari poſſit? Beccaria edito peculiari, de Delictis, et Poenis anno 1765 opere, pluribus pugnat argumentis, mortis poenam nusquam locum habere poſſe. Quo Jure inquit, quaecumque illa Suprema in Civitate poteſtas ſit, Jus in vitam Civium ſuorum arrogabit? Quis ſocietatem Civilem ingrediendo, Jus in vitam ſuam, Supremae Poteſtati detulit? Nemo in vitam propriam Jus habet. Qualiter igitur alteri dare poteſt, quod non habet?

At

At vero Jus poenae mortis, non a Jure contractus socialis, quo in Civitatem coaluimus, sed a Jure Naturae, cui nec in Civitatem adsciti renunciavimus repetendum est. Natura nobis obligationem Conservationis propriae imposuit; adeoque jus etiam nos conservandi attribuere debuit. Jus semet cum moderamine inculpatae tutelae defendendi, nec privato Homini quispiam abnegat. Qualiter igitur integrae Civitati, sive eandem repraesentanti Supremae Potestati idipsum in quaestionem vocari poterit?

Societatem Civilem ingressi, neutiquam Jus in vitam propriam, sed in vitam iniqui securitatis publicae aggressoris supremae Potestati detulimus. Quod apud Civem privatum est defensio, cum morte aggressoris, id in Civitate est poena mortis. Jure igitur isto Civitas uti poterit, quotiescumque salus, seu securitas publica id exegerit.

Sed et limites Juris hujus iidem sunt, qui moderaminis Tutelae inculpatae. Quodsi extra casum necessitatis, suprema Potestas poenam hanc irroget, limites excedit, Jureque suo abutitur.

Quis vero id definiet, quando id ſalus, ſive defenſio exigat publiba? Quam primum Delinquens interceptus eſt, ceſſat periculum. Praeſens itaque Civitatis tutela mortem Delinquentis non poſtulat. Sed neque metus futurae laeſionis. Quem enim vincula coercent, ſi non etiam interne, externe ſaltem correctus eſt. Sed et de cujuspiam emendatione deſperare, ipſa nos Religio prohibet. Quid? quod neque Jus aggratiandi ſubſiſtere ullatenus poſſit, ſi de emendatione Delinquentis deſperetur. Ita enim Gratiam vitae Delinquenti facere non aliud eſſet, quam ſecuritatem publicam novo periculo exponere.

Ex his interim non aliud ſequitur, quam quod paſſim poena mortis, in Delictis etiam gravioribus locum non habeat. Nec tamen concludi poteſt: neque tum ad hoc remedium recurri poſſe, dum illud defenſio Civitatis poſtulaverit.

Quandocumque autem ſecuritas publica non aliter obtineri, praecipuusque poenarum ſcopus, exemplum videlicet Malevolis neceſſarium, non aliter efficax ſtatui poteſt, dura haec adeſt neceſſitas. Atque utinam rarius illa in Civitatibus occurreret!

In-

Incassum poena haec crudelis, Populationique inimica dicitur. Nam denique ut Corpus servetur integrum, membra subinde amputari debent.

An promiscue dictari possit? Sed neque illorum sententia sustineri potest, qui poenam mortis promiscue dictari posse existimant. Autoritas Divinae Legislationis, pro norma Tribunalium nostrorum adduci nequit. Quis enim Judicum Ius theocraticum sibi arrogabit?

Legislatorum certe plerique, a vera delictum, et poenam inter proportione aberrarunt, dum pro furto pretium 25. flrum adaequante, atque aliis hujusmodi, poenam mortis constituerunt. Qualiter haec cum humanitatis, qualiter cum Delicti quantitatis, ac qualitatis, qualiter denique cum Imputationis Legibus conciliari poterunt? Sed et pleraque alia, partim nimium severa, partim non satis per Legislatores determinata fuerant.

Quid circa Delinquentes incorrigibiles? Quid autem, si tanta sit quorumdam Delinquentium improbitas: ut maximae illorum improbitati, mors velut malorum omnium maximum opponi debeat?

In ſimilibus etiam caſibus adverti debet: mortem eſſe quidem malorum omnium ultimum, ſed non maximum. Mors eſt, uti Cicero dicit: *finis naturae, non poena.* Quam multi mortem anhelant, ut ab aerumnis liberentur? Deſperatus, gloriae cupidus, ipſemet ſibi mortem accelerat.

Audaces, quive ſpe evadendi lactantur, mors parum percellit; apud alios vero metus ejusdem, per ipſa Religionis promiſſa de vita altera, multum allevatur.

Sed neque utilitas, aut ſatisfactio publica poenam mortis ſvadere unquam poterit. Ad mortem enim condemnatus non amplius revivicet. Nec igitur utiliter corrigetur, nec illata damna compenſabit. Quin potius quotieſcumque Civium aliquis interimitur, novum Civitas detrimentum patitur.

Atque ex his manifeſtum ſatis eſt: quod, quemadmodum poena mortis promiscue dictari nequit, ita ſtatui haud poſſit: poenam eandem nusquam dictari poſſe.

Quid circa ſubſtituendos poenae mortis Carceres, laboresque publicos?

Labores publici, Carceresque diverſimode in Civitate bene moderata adaptati, ipſam etiam mortis poenam ſupplere poſſunt, non

autem

autem ubi Populus servitute, carceribus, laboribusque durissimis a teneris insvescere debuit.

Nihil est, cui homines non assvescant. Quin invidenda etiam subinde videtur sors eorum, qui carceribus detinentur. Exempla sunt, quod se carceribus aliqui includi voluerint, ut absque curis vitam tolerarent.

Sed et in minoribus Civitatibus; uti sub LEOPOLDO in Hetruria fuerat, facilius per opportunas dispositiones Politicas praecaveri poterit, ne Delicta admittantur, quae poenam mortis deposcant.

In majoribus vero Civitatibus, eo perfectionis Cives deducere, vix est possibile. Solennia poenae mortis, si raro, et qua oportet cum gravitate peragantur; majorem vulgo impressionem faciunt, quam quaecunque poena alia. Neque in quibusdam casibus, uti Tumultuum, frequentiorum Latrociniorum, atque aliorum hujusmodi, Securitati Publicae aliter consuli poterit. Praestat perire paucos, quam periculo exponi plurimos. Nunquam se aliter subinde Civi-

tas

tas ab inveterata quorundam malitia tueri poterit, nisi e medio eosdem sustulerit.

Quid circa modum desummendae mortis poenae? Quamvis autem ratio, sive modus desummendae mortis poenae spectatoribus exemplo, adeoque horrori esse debeat, pro Delinquente tamen, quo facilior reddendus est. Crudele, inhumanumque est, ultimo afficiendum supplicio, excruciare. Expiat idem morte omnia. Neque cruciatibus hujusmodi animos spectantium exasperare, consultum est.

Quam indignum humanitate spectaculum fuerat penes infelicem jam rota fractum, Lictores compotare. Surdis illi auribus, ejulatus infelicis dissimulabant. Donec denique post moram longiorem, ultimus ipsi ictus, instar gratiae infligeretur.

Ulteriores Reflexiones circa poenas laborum, atque carcerum. Possunt quidem poenae laborum, carcerumque ipsa etiam mortis poena acerbiores esse, nec tamen verus poenarum scopus iisdem semper obtinetur. Quidsi enim poenae hae commiserationem, loco metus pudorisque excitent? Quidsi Crimen Delinquentium illis, qui poenam spectant, plerumque ignotum sit?

Quodsi

Quodsi Deliquentes carceribus durissimis includantur, compedibus onerentur, atque uti cum quibusdam fieri solet, catenis etiam muro, aut praegrandibus lapidibus, usque dies vitae adstringantur, cui usui longa haec, & morte qualibet acerbior carnificina futura est? Quotus quisque ex illis, ad quos exemplum poenae hujus deberet pertinere, ferale hoc spectaculum intuebitur? Qualiter in desperato hujusmodi statu, Delinquens emendabitur? Qualiter igitur poenarum scopum, emendationem, ac exemplum assequemur?

Idem est, si Delinquentes ad labores durissimos, procul a loco Delicti sui ablegentur. Illorum labores, qui ad Sibiriam, Americam Meridionalem, Naviumve attractionem damnari consveverant, quem effectum produxerunt apud illos, qui Delicto ipsorum ptaesentes erant: quive exemplo hoc a Delictis talismodi fuissent absterrendi? Absentium facile obliviscimur. Praesentibus solum, vulgares praesertim homines afficiuntur.

Quodsi

Quid circa poenarum aequalitatem? Quodſi vero diversae Claſſis, culturae, atque educationis Homines iisdem laboribus, poenisque aequalibus ſubjiciantur, id enimvero ſumma eſt injuſtitia. Qui enim laboribus, asperaque a teneris vivendi ratione obduruit, poenam talem nec ſentiet, quae alium mollius educatam proſternet, perimetque.

Ne igitur ſub praeſidio Juſtitiae, Saevities exerceatur, labores, carceresvè, poenae etiam mortis ſubſtituendi, Legislationis Criminalis, veroque poenarum ſcopo conformandi ſunt.

Si ad carceres damnatum vivere volumus, lenta morte perimi haud debet. Carceres praeprimis ita inſtruantur, ne iisdem detentus, valetudinis, vitaeque detrimentum ſubeat. Labores captivis aſſignandi, ſint utiles, viribusque ipsorum accommodi. Hunc in finem, prout in Hollandia, et ſub Leopoldo in Hetruria, neceſſaria eſt Delinquentinm ſeparatio, ſive claſſificatio.

Nec

Quid circa locum Delicti? Nec procul illi a loco Delicti relegandi ſunt. Ita enim, et exemplum, et emendatio, plerumque certius obtinetur. Sed & pro futuro Securitati Civitatis magis conſulitur, ſi eosdem Delinquens poenae, atque emendationis ſuae Teſtes habeat, quos prius ſceleris ſui ſpectatores habuerat.

SECTIO IV.

DE ADMINISTRATIONE
Justitiae Civilis.

Objecta Justitiae civilis.

Prout ſecuritas perſonalis Juſtitiae Criminalis, ita Bonvrum ſecuritas, Juſtitiae Civilis Adminiſtrationi innititur. Quin multis in Civitatibus, ea etiam, quae ad Actionum, Honoris, atque Perſonarum ſecuritatem pertinent, ad Juſtitiae Civilis Adminiſtrationem referuntur.

Ut praecipuae huic Felicitatis publicae parti conſuleret. LEOPOLDUS, praeprimis de recta Tribunalium inſtitutione in Hetruria ſollicitus fuerat. Sollicitudinem eandem in Hungaria quoque palam fecit, dum in Comitiis anni 1791. a 67. ordinatae Deputationi Juridicae, id prae aliis omnibus committi voluit: *ut coordinationem Juridicorum Dicaſteriorum, et cunctorum Fororum Judicialium elaboret.*

Ad

Ad rite porro administrandam Civilem Justitiam, confert vel maxime, norma Processuum, sive modus lites, coram Tribunalibus prosequendi. Et ideo, *emendatio Processualis ordinis, in quantum illam, seu major celeritas Processuum, seu major securitas collitigantium, seu majus sumptuum compendium postularet*, alteram Leopoldi sollicitudinis, ac memoratae Deputationis operum partem constituit.

Nec tamen idem, absque Legum novarum adminiculo, rectam Justitiae Administrationem constabiliri posse existimabat. Hunc in finem, Leges etiam proponi voluit, *quibus plenior Processoribus securitas procuretur, fontes Litium obstruantur, major denique praeexistentibus Legibus perspicuitas procuretur.*

Sed et ad Leges Navigationis, atque Cambiales, pro incremento commercii summe necessarias, ut tandem advertatur, salutarique huic operi manus admoveatur, Paterna Leopoldus sollicitudine, nos eodem articulo admonuit.

Ac demum, ad nobile Judicis officium, curam quoque orphanorum pertinere docuit;

 queat

atque inter Munia Deputationis Juridicae *rerum quoque Orphanalium manipulationis elaborationem* retulit.

Principia. Ut vero fructum iſta, quem LEOPOLDUS optaverat, proferant, ſcopumque ſuum aſſequantur, certa prius principia ſtabilienda erant, ad quae omnia, quae horſum pertinent exigantur.

Quaelibet ars, atque ſcientia, ſua habere debet principia. Qualiter igitur ſcientia juſti, et aequi, absque certis principiis pertractari poterit?

Sunt haec pauca, et valde non remota. Natura enim duce ad haec deducimur. Neque Leges Nationum ſunt quidquam aliud, quam pro diverſitate Status Civitatis, Legum Jurisque Naturae explanationes. Quodſi igitur ad harum indolem, ſive ſpiritum advertatur, principia iſta facile innotescent.

Ita in artibus, ſcientiisque aliis, longiore uſu, atque meditatione adjumenta, et obſtacula eorum, quae ad ipſarum ambitum pertinent detecta, ex horumque contemplatione, certa principia ſtabilita fuerant:

Sunt quidem innumera, quae ad Juſtitiae Adminiſtrationem influunt, et novam

quasi quotidie faciem eidem induunt. Haec objiciunt aliqui, ad certa principia reducere, idem est, ac ventis, atque tempestatibus imperare velle.

Sed eo ipso exquirenda sunt principia, ad quae dubitationes nostras revocemus, et tanquam tempestate jactati, ad sidera, acusve magneticas respiciamus.

Neque id semper verum est, quod vulgo dicitur: praxim, usumque rerum optimum rerum Magistrum esse. Cum enim varii adeo in Judiciis vitaque civili occurrant casus, maxime diuturnae vitae experientia, non aliud praestare potest, quam ut absque certis Principiis anceps, titubansque haereas, ut primum Casus occurrerit, quem nondum expertus es.

Quid igitur occasione talismodi facto opus? nisi stabilita Legibus principia adfuerint, ad subterfugia, subtilitatesque Logicas, et Metaphysicas recurretur; omnisque causa ex arbitrio Judicis decidetur.

Atque haec reipsa est causa, quod apud veteres Jurisconsultos, stante praesertim Romana Republica, tanta Regularum, sive Axiomatum Juris Autoritas fuerit. Quae

utinam in Judiciis omnibus, quoad deducta ex his, ſuaque forma ſtabilita Legum Municipalium Principia obtineret.

Quoad Juſtitiae Civilis Adminiſtrationem, pro generali Principio ſtatuit Leopoldus, Civium litigantium ſecuritatem. Obſervandum interim e litigantibus alium eſſe Actorem, Incattum alium. Reſpectu Actoris conſiſtit ſecuritas, vel maxime in obtinendi Juris ſui facilitate, ſive celeritate, compendioque temporis, ac ſumptuum, ad conſequendam Juſtitiam impendendorum. Reſpectu autem in cauſam attracti in ſufficientibus ſe, ſuaque defendendi mediis, ſive praeſidiis.

Leges omnium fere Nationum in Cauſam attractis favent. Melior inquiunt eſt conditio poſſidentis. Quilibet debet ſupponi bona Jus ſuum fide poſſidere, donec contrarium comprobetur.

In cauſam igitur attracti partes favorabiliores eſſe debere paſſim adſtruitur.

Inter Civiles tamen, et Criminales cauſas, diſcrimen videtur eſſe faciendum. In cauſis Civilibus, praeſertim ubi longa, et ſumptuosa eſt Juſtitiae, Jurisquè Proſecutio,

verum

verum est illud, quod conditio possidentis semper sit melior, beatique sint possidentes. Nec tamen inde consequitur: e parte civitatis adminicula ipsis ad eludendum, atque sumptuum, temporisque taedis defatigandum Actorem, suppeditanda esse. Actor potius, plerumque extra Possessorium existens, laesus esse supponitur. Ille opem implorat Judicis. Eidem igitur Judex manum auxiliariam praebere debet. Quamquam cautione etiam indigeat, ne iniquis, aut imaginariis Actoris postulatis ancilletur.

Ex adverso, in Criminalem attractus causam, potentem valde adversus se Actorem habet. Magistratualis Fiscus, Publicum sive Civitatem universam repraesentat. Fere ubique Gentium peculiaribus Leges Fiscum Publicum, ejusdemque Advocatos favoribus prosequuntur. His fretis, quaestiones movere, lites intentare, Acta, Juraque Civium disquirere, verbo omne fere licet, quod iisdem lubet. Incusatus vero, alioquin satis infelix est, quod in Criminalem Inquisitionem inciderit. Plerumque Carceribus inclusus, catenisque constrictus, qualiter sibimet idem

consulet, nisi Leges, publicaque Justitiae Administratio eidem opituletur?

Normam igitur in Justitiae Civilis Administratione praescripsit LEOPOLDUS: ut *major Processuum celeritas, juncta tamen sufficienti Co litigantium Securitati, procuretur.*

Nec tamen omnia, quae horsum pertinent, ad unicum, ut quidam contendunt, Principium revocari possunt. Quam ingens est actuum humanorum varietas? Quis praeter Metaphysicum, vel prima rerum elementa ad unicum Principium revocaverit? Sufficiet igitur certa, nec valde multa, atque ex indole Legum deducta Principia Legibus definire, ad quae omnes in defectu clarae Legis quaestiones expendantur.

Separatio Administrationis Justitiae. Circa Justitiae Administrationem illud praeprimis potest occurrere: an non consultum sit eandem a reliquis administrandae feliciter Reipublicae negotiis separare? Ingens eorum moles est, quae ad Politicam, atque Oeconomicam Civitatis administrationem spectant. Haec moram saepe non patiuntur. Justitiae igitur Administratio debebit adhaerere.

Ordo

Ordo eſt anima rerum. Neque hic ſuſtineri poteſt, ſi plura ſemel offerant.

Quis porro ille eſt, qui valde multis ſimul ſufficiat? Vires humanae limitibus modicis circumſcribuntur. Ut ſuſtinendo vel uni muneri publico pares ſimus, quantus doctrinae atque experientiae rerum apparatus requiritur?

Verum quidem eſt, quod Juridicorum a Politicis ſeparatio, quibusdam in Civitatibus, non optimo cum ſucceſſu tentata fuerit: Concludi tamen exinde nequit, in modo, ac ratione, qua id tentatum fuerat, aberratum non fuiſſe.

Juſtitiae Adminiſtratio eſt alioquin pars Adminiſtrationis Politicae, quae Civitatis, civiumque omnium ſecuritatem pro ſcopo habet. A Politica igitur Adminiſtratione ſeparari ita nequit: ut nullum cum illa nexum habeat. Sed tamen, quod tutior, celeriorque ſit Juſtitiam conſequendi ratio, ſi eadem per Judices, huic ſpeciatim muneri deſtinatos adminiſtretur, id neque quaeſtionem recipit.

Leopoldus certe, non ſolum pleraque Politiae, atque Oeconomiae publicae objecta,

 ſed

ſed etiam Juſtitiam Civilem, a Criminali ſeparate adminiſtrari cupiverat.

Fontes Proceſſuum. Ceterum praecipuum LEOPOLDI pacis ſtudioſiſſimi circa Juſtitiae Adminiſtrationem votum fuerat, fontes Proceſſuum, ex quibus inanes lites oriuntur, obſtruere.

Injuriae, ignorantia, ira, invidia, avaritia, et reliqua mentis humanae vitia, praecipui Proceſſuum fontes ſunt. Hos igitur ut obſtrueret LEOPOLDUS, Culturam, majoremque civium ſuorum perfectionem tantopere ſibi cordi ſumpſit. Docet enim experientia, quod eo plures in Civitate lites ſint, quo minus cultus, imperfectiorque eſt Populus.

Recta Chriſtianae praeſertim Religionis inſtitutio, in hoc etiam plurimum Rectores Civitatum adjuvat. Docet haec inimicis quoque, atque injuriam nobis inferentibus ignoſcere; humanaque agendi ratione id efficere: ut inimicorum etiam noſtrorum animi ad benevolentiam concilientur. Neque illos exaſperemus, pluresque ita nobis moleſtias faceſſamus, dum illatam injuriam vindicare volumus.

Hac

Tentamen Amicae Conventionis. Hac etiam de Cauſa, in pluribus jam Civitatibus, Lege publica conſtitutum eſt: ut nemo coram Judicio audiatur, nulliusque Actoris querela, ſive Actio acceptetur, niſi Teſtimonium eidem adnexuerit, ſe praeſcripta per Legem norma, amicam cum Parte adverſa tentaſſe conventionem.

Idipſum apud nos, inſigni cum ſucceſſu, in Cauſis Matrimonialibus, ſub Regimine Josephi II. in uſum deductum fuerat. Recentiſſimum Daniae exemplum inſtituti hujus utilitatem luculenter comprobat. Hoc enim amicae conventionis tentamento introducto, numerus litium intra annum infra dimidium imminutus eſt.

Parochi ſane e primaeva alioquin ſui inſtitutione Pacis Miniſtri, inſignem Reipublicae navare poſſent operam, ſi antequam muneri ſuo addicantuur, iis etiam notitiis imbuerentur, quae ad Civilis Juſtitiae Adminiſtrationem pertinent.

Sed et alii muneri huic idonei, absque novo Civitatis onere deſignari ubique poſſent, quibus honorificum iſtud Arbitrorum, ſive Judicum Pacis munus tuto commiteretur.

Sic

Sic in Hungaria, quod in Comitatu quolibet sunt honorarii Tabulae Judiciariae Assessores, qui lites innumeras interpositione sua consopirent; pestemque integras Familias, aetatemque plurium hominum depascentem, in ipso quasi ortu suffocarent?

Temere litigantium Poena. Sunt quidem aliqui nimiopere obstinati. Cupiditas litigandi, adeo quorumdam mentes occupavit: ut lites e litibus serere gestiant. Morbo hujusmodi non aliud, quam notabilis poena temere litigantium medebitur.

Nec tamen haec in diversis Processibus eadem esse potest. Sed Culpae gravitati, et facultatibus temere litigantis, accommodari debet.

Processuales Expensae. Neque expensae Processuales dissimulari unquam poterunt, nisi Judex peculiaribus e Causis, Partem succumbentem ab iisdem relevandam censuerit.

Leges quarumdam Civitatum, in nonnullis Causarum speciebus, expensarum refusioni indiscriminatim locum haud esse statuunt. Tacite igitur veniam impertiuntur, ejus-

ejusmodi causarum praetextu Cives impune divexandi.

An Culpa, vel dolus subversetur, id non e Litis indole, sed actis litigantium, coram Judicio elucubrandis patere potest. An igitur, per quem, et qualiter expensae refundi debeant, id semper Judicis sententiae, Lege Publica deferendum esset.

Quodsi Cives noverint, expensarum refusionem ipsis semper incumbere, nec tam facile ad lites prorumpent, neque tantopere easdem protelabunt.

Advocatorum Delectus.

Ad minuendum porro litium numerum, non solum Judicum, sed vel maxime Advocatorum delectum necessarium esse arbitrabatur LEOPOLDUS. Multitudo Advocatorum lites necessario multiplicat. Horum alimentum lites sunt.

Nisi igitur Civitas in deligendis Advocatis cirumspectionem adhibuerit, tam ad numerum, quam ad ipsorum dotes, ac mercedem adverterit, certos denique limites, atque regulas iisdem praestituerit, litibus continuo Tribunalia perstrepent, Civesque per ipsa Judicia, quae praesidio ipsis esse debuerant, prosternentur.

An

An autem, ut jam olim quidam Legislatorum optaverant, a Judiciis Advocati abesse possint? dependet id a cultura Populi. Vix interim Populus uspiam adhuc ita cultus, vix item Judicia ita instituta, ut ipsaemet Partes semper, et ubique lites suas promovere valeant.

Ut vero, quemadmodum Judices, ita etiam Advocati suam ex Aerario publico mercedem habeant, optandum quidem foret! Si Justitia, prout reliqua Securitatis Civilis adjumenta, gratis, atque sine lucro a litigantibus in Advocatos profluente administrari posset. Fontes litium valde multos, vel hoc unum obstrueret. Sed denique de aerario publico melius constituendo, deliberandum prius esset.

Leges Successionales. Ceterum, frequentiam litium, privati Legum favores non raro secundant. Ita passim verum esse agnoscitur illud: quod Pater Prolibus, et proles patri, Jure Naturae teneantur acquirere. Hoc ex fundamento inter ejusdem Patris Proles, aequalis esse deberet successio. Quantae interim ab hac Regula, Legum Municipalium Exceptiones? Quanta ex his exceptionibus li-

litium materia, odiorum fomentum, et integrarum ſaepe Familiarum ruina naſcitur? Id Leges Civiles vel maxime deberent providere: ut aequitatem naturalem proximius accedatur; neque Cives ſui, fraudibus, aut pravis aliorum affectibus debita ſibi Haereditate excludantur. Et tamen, ſub ſpecioso Juris titulo, quod Acquiſitor de acquiſitis libere poſſit diſponere, una e Prolibus ejusdem Patris, opibus, et luxuria diffluit, altera vero nullius licet culpae adverſus Patrem commiſſae rea probroſa prope cum Paupertate conflictatur.

At vero id conſervatio Familiarum poſtulat. An non ad compendium Litium, id etiam confert alibi plurimum, quod unus tantum filiorum Patri in Bonis ſuccedat, Proles autem reliquae, praeſertim vero Filiae, a ſucceſſione arceantur?

Quod Familiarum conſervationem adtinet. Non eſt mortale, quod optant. Tempus edax rerum. Quot ſunt adeo potentes veteres Familiae, quae penes talismodi etiam Legum favores originis ſuae vetuſtatem ſincere demonſtrare audeant? An non aetate qualibet novae exurgunt Familiae? Ita vide-

delicet a natura comparatum eſt: ut interitus unius, ſit generatio alterius.

An non porro magis intereſt Civitatis, plures habere Civium facultalibus proviſos, quam unum, alterumve valde divitem? Veterum certe Legislatorum plerique in eo vim, artemque praecipuam Legislationis poſuerant, ne divitiae apud aliquos Civium accumulentur, ſed potius inſtar ſangvinis, ad omnia Civitatis membra dimanent.

Lex porro Publica, debiliores ſemper debet protegere. Filiae acquiſitionum minus capaces; adeoque Legum Protectionis magis indigae ſunt.

In Familiis, in quibus Puellae, a ſucceſſione excluduntur, eaedem cum detrimento Populationis plerumque innuptae manent. An non novum id, ob Privatorum lucrum, Civitatis totius damnum eſt.

Sed Servitia publica, quorum Merces collatio Bonorum eſſe ſolet, non praeſtant Filiae? At praeſtant Mariti, praeſtant ipſarum Filii. Apud Romanos veteres, partus ſemper ſequebatur ventrem. Et nunc etiam ſi verum fatendum eſt, complures florentiſſimae, ac de Republica optime meritae Fa-

mi-

miliae, origines ſuas, plerumque facultatibus primaevae Matrisfamilias, in acceptis referre debent.

Libera Emptio, et venditio. Ex eodem conſervandarum privatarum familiarum ſtudio, profluunt Leges illae, quae ſub titulo Aviticitatis, innumeris, immortalibusque litibus, Cives quarumdam Civitatum involverunt.

Bonorum Proprietas, liberumque eorundem Dominium, praecipuum omnium ſocietatum Civilium fundamentum fuerat. Sic in Hungaria, jam olim cum initio Regiminis Monarchici, legem tulerat D. Stephanus L. II. C. 5. *ut unusquisque habeat facultatem ſua dividendi, uxori, Filiis, filiabusque, atque Parentibus, ſive Eccleſiae; nec poſt ejus obitum, quis hoc deſtruere audeat.* Id ipſum uberius explicat C. 24. et 35. *ut videlicet unusquisque dominetur propriorum, ac etiam donorum Regis, dum vivit; ac poſt ejus vitam, Filii ſimili dominio ſuccedant.*

Et tamen, jam ab aetate Ludovici I. qui primus in Confirmatione Decretorum Andreae II. libertatem hanc cepit reſtringere, quam procul ab illa receſſimus?

Qua quaeſo de Cauſa? volebamus nempe a morte etiam, Bona, facultatesque noſtras vindicare, eademque, nos repraeſentantibus Filiis, ſerisque nepotibus retinere. Hinc illae Legum Cautiones, ne haec ad manus Extraneorum devolvantur.

Ridiculum certe, atque ut quotidiana docet experientia, vanum eſt proprietatis perpetuae deſiderium. Jam olim Poeta ſapienter monuerat: *Propriae telluris herum, natura nec illum, nec me, nec quemquam ſtatuit. Nos expulit ille; illum aut nequities, aut vafri inscitia Juris, poſtremo expellet certe vivacior haeres.*

At non ita de hoc homines vulgo ſentiunt. Induſtria acuitur, ſi exiſtiment ad Poſteros illa pertingere, quae labore difficili procurarunt. Civitas etiam, magis ſibi obnoxios Cives habet, ſi cura etiam Poſteritatis eosdem teneat.

Id, de quibusdam verum eſt. Sed quota pars ſunt iſti Civium? Longe plures ſunt illi, quorum induſtria langvescit, ſi viam ſecure acquirendi, ſibi praeclusam videant. An non praeterea cura haec inutilis? An non denique aliis debebimus cedere, quibus-

cum-

cunque Legum praesidiis, acquisita nostra muniamus? Etiamsi ad Filios illa transmiserimus. Hi abalienare poterunt. Et sic non aliud, quam lites nepotibus nostris relinquemus.

Magis profecto industriam acuit, si secure cives sua possidere, libereque iis, quae possident, uti possint. Plus saepe laboris, ac sumptuum constat, avitica vindicare, quam noviter acquirere. Neque unquam de acquisitis securi sumus, si semper metuendum supersit: an non praetextu aviticitatis, quod acquisivimus, paulo post amittamus.

Opes Civitatum sunt opes Civium: per liberam primo Bonorum emptionem, ac venditionem, opes, atque ea, quam in humanis obtinere possumus, Proprietas Civium fundabitur. Haec industriam excitabit. Populationem augebit. Creditum, et commercium Nationi procurabit. Majus longe istud est Civitati emolumentum, quam quod e Bonis deficientium Civium in eandem derivatur.

Quamvis autem ista in quaestionem aliquis vocare possit; id tamen nemo inficiabitur;

bitur: quod lites pauciores ſuturae ſint, et major pars difficultatum in Adminiſtratione Juſtitiae occurrentium complanabitur.

Mutatio omnis periculosa. Sed denique mutatio omnis periculosa eſt. Naevi, atque difficultates, in illis etiam occurrent, quae veteribus ſubſtituerentur. Poſteri noſtri omne iſtud reformabunt, quidquid nos modo conſtabilire volumus. Tot Saeculis proſpere ſatis vixerant Patres noſtri. Aberrabimus igitur, ſi a tritis ipsorum veſtigiis recedemus.

Ut ab iis, quae olim ſapienter conſtituta, uſibusque modernis ſunt adhuc accommoda, novitatis ſtudio recedatur, nemo prudens ſvaſerit. Id enim temeritatis, plenumque vanitatis opus eſſet. Verum, prout regnante Leopoldo in Hetruria, ita ubique fere gentium obſervare eſt: multa olim ſumme proficua, ipsa quaſi vetuſtate, uſuque vetuſto attrita, reparatione indigere.

In omnibus, quae oculis noſtris quotidie obverſantur, ac in nobismet ipſis mutationes obſervamus, qualiter igitur, immutabilitatem eorum, quae ad Civitatis

Ad-

Administrationem ſpectant, deſiderare poſſumus.

Reliquae fere omnes, Administrationis publicae partes, aliam a vetere faciem induerunt. Quam diversa nunc a priore militiae ratio? Quantae in Politia, Oeconomia publica, Commercio, Re Aeraria, Studiis, Philoſophico, Medico, ac etiam Theologico mutationes? Solane Jurisprudentia perfectione majore non indiget?

Quid actum apud Exteros, circa Administrationem Justitiae.

Dani, et Svevi aetate posteriore primi erant, qui exemplo ſuo neceſſitatem, atque utilitatem emendandae Adminiſtrationis Juſtitiae Nationibus reliquis oſtenderunt.

Codex enim Chriſtianeus, jam anno 1683. lucem aſpexerat; et dein in partes quatuor diviſus, neceſſariisque animadverſionibus illuſtratus, anno 1736. Haffniae prodiit. Codex autem Legum Svevicarum, anno eodem publicatus, atque anno 1781. autoritate publica emendatus eſt.

Nec tamen imitatores tam cito, ut merebantur nacti ſunt. Plerique Juriſconſultorum in Europa, multum ſe jam profeciſſe

existimabant, si praeter Jus Patrium, Codicem Justinianeum, et Sanctiones Canonicas inspexissent. Leges Nationum aliarum pervestigare, operae pretium haud esse putabatur. Quasi vero nihil in iisdem reperiretur, quod usui nostro esse posset.

Cum igitur nulla certa Principia, nullumque certum Systema, in Justitiae Administratione defixum fuerit, exortae sunt diversae Legum interpraetationes, contrariae veteribus opiniones, et consvetudines, Judiciorum denique inter se variae, ut dum eaedem loco Legum in Judiciis praeponuntur, amplissimum Arbitrio Judicis campum adaperiant.

Leopoldus tandem in Hetruria de novo Legum tam Civilium, quam Criminalium codice cogitare cepit. Atque eodem fere tempore, magni Austriae, Russiae, et Borussiae Principes, hanc Nationum eorundem Imperio obnoxiorum necessitatem perspexerunt.

Quid in Hungaria? In Hungaria, exceptis annis, quibus sub Mathia Corvino Codex Justinianeus, ac sub Regimine Josephi II. novus Ordo Judiciarius, robur in

Tri-

Tribunalibus obtinuerat, norma proſequendarum coram Judiciis Cauſarum, Legibus, atque Consvetudinibus vetuſtiſſimis innititur.

In Corpore Juris Hungarici, poſt Bonfinium traditur: quod jam olim Bela III. circa annum 1174. Proceſſum Judiciarium per libellos ſupplices fine eo inſtituerit: ut ſic maturius negotia expenderet, diſtinctiusque cauſantium aequitatem cognosceret. Verum, quamdiu norma haec duraverit, et num libellaticus hic Proceſſus, in minoribus etiam per Regnum Tribunalibus uſurpatus fuerit, non ſatis liquet.

Kitonich Formam illam Proceſſualem, quae hodiedum apud nos obtinet, per Carolum I. circa annum 1310. ex finibus Galliarum in Tribunalia noſtra inductam eſſe refert. Vult tamen id ſolum intelligi de terminis, et remediis Juridicis, per quos gradatim ad Litis deciſionem proceditur, uti ſunt: Citatio, Levata, Parium Petitio, Exceptiones, Probationes, Procuratorum Revocationes, Oppoſitio, Repulſio, Appellata, Novum Judicium, et ſimilia hujusmodi.

Verböczi anno 1514. opus Tripartitum Juris Confvetudinarii Regni Hungariae per fe elaboratum, confenfu Regis Uladislai II. confirmari procuravit.

Et licet elapfis vix 36. annis, juxta a. 10. 1550. de abolendo Tripartito Verböcziano, concinnandoque novo opere Juridico actum fuerit, ac non longo poft tempore Opus Quadripartitum Tripartito limatius, pluresque Leges, ac Confvetudines Regni complexum prodierit, ufu attamen, ac pofteriorum etiam Legum autoritate Opus Verböczianum vim Legis fcriptae obtinuit.

Opus ita dictae Commiffionis Syftematicae a. 24. 1715. inftitutae, praeter obfervationes in Tripartitum, in naturali potisfimum aequitate fundatas, continet in fe praxim etiam Tabulae Regiae Judiciariam, minorumque Tribunalium. Quae in hoc uberius explanantur, licet quidem in Regni Comitiis nondum univerfim robur Legis obtinuerint, multa tamen jam articulis annorum 1723. et 1729. inferta funt, reliqua vero usu, ac consvetudine Tribunalium vim Legis non fcriptae obtinuiffe videntur.

Ean-

Eandem demum autoritatem obtinet planum, ſive opus Juridicum Deciſionum Curialium e benigna Auguſtae Mariae Thereſiae ordinatione, annis 1769. et 1770. collectum, ac poſt Reviſionem Curiae Regiae, Suae Majeſtati exhibitum.

Moderna igitur Conſvetudo, ſive Norma Proceſſualis ex his omnibus coaluit. Quamvis enim Conſtitutiones, et publica Regni Decreta, his quoque fundamentum praebeant; haec tamen procedente tempore diverſimode mutata ſunt. Atque ex omnibus fere aliquid per longum usum in conſvetudinem iſtam derivatum eſt.

E diverſis adeo fontibus, diversa profluunt Principia. Ex his diversae adeo in eodem Proceſſu Sententiae. Quodſi enim, diversum Judex in Foro Appellatorio, vel Reviſorio Principium adſumpſerit, diverſam alioquin ab ea ferre debebit Sententiam, quam Judex primae inſtantiae tulerat.

Ex hac Sententiarum diverſitate, incertitudo Juris oritur. Atque ita Leges, quae Securitatem Bonorum procurare debuerant, eandem potius labefactant.

Necessitas Codicis Legum. Vel ex his necessitas certi, atque universalis in eadem Civitate Legum Codicis elucescit. Sed et per hanc Legum multitudinem, atque diversitatem adeo implicata, serotina, atque sumptuosa evadit Justitiae Administratio.

At vero e novo Legum Codice novae iterum enascerentur difficultates? Sed tamen si Principia certa, et determinata fuerint, atque ad ordinem, perspicuitatemque necessariam diligentius advertatur, magnum earundem fieri potest compendium.

In Processu quolibet alia est quaestio Facti, alia Juris. Judicis obligatio in eo solum subsistit: ut factum rite ad Legem applicet. Si Lex normaque eadem fuerit, longe facilior erit haec adplicatio.

Administrationis quidem Justitiae Pars est difficillima, et saepius valde implicata in Factum inquirere. Sed tamen haec etiam facilior redditur, si norma inquirendi determinata, Lexque una sit. Ita enim non erit in arbitrio Judicis hanc, vel aliam sive Probationem, sive Legem suo pro lubitu adoptare.

Ideo vero vetuſtis ſolummodo inhaerere, quod penes omne emendationis ſtudium multa tamen imperfecta, atque emendanda remanebunt, id reipſa manibus Summorum Principum Petri I. Friderici II. Caroli VI. Mariae Theresiae, Joſephi II. Leopoldi II. omnium denique, quos grata poſteritas Felicitatis ſuae Statores veneratur, injurium eſſet. Quid in rebus humanis omni ex parte perfectum eſt? Summa, quam obtinere poſſumus, perfectio eſt naevis quam pauciſſimis laborare.

Cura Legum, atque Judiciorum. Quodſi Supremo in Judiciis Tribunali Directio Judiciorum ſpeciatim committeretur, aut peculiaris quispiam delectus virorum, Legibus Juſtitiaeque Adminiſtrationi intendentium; ſive Commiſſio, ac conſtans quaepiam Deputatio, uti in quibusdam Civitatibus obtinet, inſtituatur, defectus tempeſtive detegi, opportunaque iisdem remedia adferri facile poterunt.

Quae horsum pertinent alioquin ad ſemel emendari nequeunt. Sed longo usu obſervationibus, atque meditatione indigent. Velut in horto diligenter etiam culto her-

bae

bae inutiles, atque noxiae protuberant, ita vitia, atque naevi penes omnem Administrationis Justitiae curam se semper exerent. Adesse igitur debent, qui haec continue observent, promtumque malo remedium adferant.

Legum in ordinem redactio. Caeterum, docet exemplum omnium, qui Administrationem Justitiae felici cum successu reformarunt, Legum in ordinem redactionem, uni, vel certe paucis committi oportere. Prout aetate nostra in Borussia ita sub LEOPOLDO II-do in Hetruria, et dein sub ULADISLAO II. ac FERDINANDO I. in Hungaria Legum in ordinem redactio uni, vel paucis concredi debuerat.

CATHARINAE II. Russorum Imperatricis Instructio data Collegio virorum ad Legum compilationem delectorum, Europae quidem totius approbationem tulerat; eum tamen, qui sperabatur, effectum non produxit. Et ideo modernus Russiae Imperator ALEXANDER opus idem uni denique deferendum censuit.

Reliquae Gubernationis Leopoldi partes. Posteaquam vero ea in suo de Gubernatione Hetruriae opere, exhibuisset LEOPOLDUS, quae in gene-

genere ad Criminalis, et Civilis Justitiae Administrationem pertinent, exhibet illa in specie, quae in singularibus utriusque Administrationis istius Partibus idem praestitit.

Ubertim porro in eodem opere agitur de adminiculis, atque accessionibus, quibus regnante Leopoldo Commercium in Hetruria efloruit, Agricultura, Artes, Fabricae, atque Manufacturae novam quasi faciem induerunt. Impedimenta melioris horum culturae sublata, utiles vero Civium occupationes, omnisque industria aucta est.

Inter haec recensentur incommoda: incertitudinis Possessorii, Pascuorum communium, neglectus populationis, ignorantiae colonorum, exundationum, incendiorum, Juris praemptionum, caetus, sive contubernii opificum.

Res Aeraria publica, qualiter constabilita. Quid circa Domania sive Bona Cameralia? circa Regalia? Taxas? Vectigalia publica? Proventus accidentales? Contributionem, sive singulorum Civium ad usus publicos depensionem, ejusdemque justam distributionem? qualiter denique cum minimo Civium incommodo, et maxima Proventuum

tuum publicorum certitudine, ac durabilitate necessitatibus publicis consuli valeat?

Omnia Status publici Debita Auspiciis Leopoldi complanata per augmentum proventuum, et publicarum expensarum compendium. Divendita Civitati minus utilia, augendae vero Civium industriae summae proficua Domania.

Constabilitum Creditum publicum. Creditores Extranei per suppeditatum e privato Principis Aerario, ac Cives etiam amplioribus provisos facultatibus, subsidium penitus exsoluti. Aucta Pecuniae circulatio, constitutae cassae fiduciariae, sive Bancalitates Publicae.

Adminiculis Politiae tam in urbibus, quam ruri securitas interna, bonusque ordo introductus. Hunc in finem Educatio Juventutis, scholarum Instituta, Disciplina Ecclesiastica, sanitatis, paupertatisque Praesidia constabilita. Mercedis publicae, sive salariorum, ac pensionum norma definita.

Quia vero peculiares Locorum, et Communitatum quarumdam necessitates, peculiaria etiam statuta postulabant, ad haec etiam Providentia Leopoldi se extendit.

Quid-

Quidquid ad privatam urbium, et quarumlibet Communitatum meliorem Oeconomiam commoda, incrementumque induſtriae conducere poterat, ut id omne ſuos inter inducere, atque Magiſtratus localis adminiſtrare poſſit, liberaliſſime LEOPOLDUS indulſerat. Probe gnarus magnum id regimini publico eſſe allevamentum, ſi Jurisdictio quaelibet autoritate polleat. Communisque ordinis, atque utilitatis ſtudio teneatur.

Quid demum ad externum decorem, et praeſertim Urbis Florentinae, ejusdemque viciniae ornamentum praeſtiterit, quam magnifica in reliquis etiam Hetruriae partibus Aedificia poſuerit, Archiva publica qualiter in ordinem redegerit, Bibliothecas, Muſaeum publicum, et cetera ad Scientiarum, Artiumque incrementum neceſſaria, qualiter inſtruxerit, in poſtrema operis ejusdem parte ubertim recenſetur, atque etiam impendia, quibus haec erecta ſunt, ſpeciatim exponuntur.

Concluſio. Quod horum omnium, nos etiam participes reddere, atque ad verae civilis felicitatis faſtigium elevare voluerit, vel ex his, quae hucusque adducta ſunt, ſatis elucet. Opere extemporali, quale hoc eſt, pro dignitate pertractari iſta uberius nequeunt. Neque nobis merita LEOPOLDI ſunt adhuc ſatis cognita.

Quodſi acta Deputationum Regnicolarium auſpiciis ejusdem inchoatarum publicam

ſuo

ſuo tempore lucem aſpexerint, tum primum digna eodem continget Oratio. In his enim abundans ad erigendum Memoriae LEOPOLDI immortale monumentum materies reperietur.

Eriget, ac perpetuae Poſteritatis memoriae, cum immortali ſui etiam Nominis gloria, conſecrabit illud, Parentis optimi Filius, et Populorum ſuorum Pater optimus, Rex noſter Auguſtiſſimus. Qui gravi belli neceſſitate, quacum ab initio Regiminis ſui conflictabatur, jam expeditus, nihil intentatum relinquet, quod ad augendam, perpetuoque ſtabiliendam Populorum ſuorum felicitatem conferre poteſt.

Propriae vero Hungaris felicitatis Sponſor eſt, Princeps Benigniſſimus Archidux Palatinus. Quies, voluptas animi, veraque ejusdem gloria, felicitati noſtrae intime nexa eſt. Certi igitur eſſe poſſumus, quod noſtram, Poſterorumque noſtrorum felicitatem conſtabiliamus, dum ejusdem ductui promte obſequimur.

Neque nobis ſupereſt aliud, quam precari Deum Optimum, Maximum. Servet nobis diu incolumes, hos felicitatis noſtrae Praeſides. Sitque perpetuo ſancta, tam horum, quam per hos etiam perennis futura apud Hungaros LEOPOLDI II. Memoria.